

## L I B E R

54 & cum omnibus inde , vel ab id actis , & agendis , nisi per totam universitatem , & omnes homines Montis Sancti , rite , & legitime factæ fuerint , vel per totum populum nostræ Terræ non obstante aliorum absentia , vel defectu quæ , & qui in hac parte per se pro præsentia , & consensu omnimode reputetur , & habeatur , jure contrario non obstante . Volumus autem , quod nullus ad dictam electionem consilio rum faciendam possit deputari , vel nominari cuius bona non sunt apertiata in catastro nostri communis saltim L. lib. , & ab inde super , & qui non fuerit oriundus de Monte Sancto alioquin ejus deputatio sit vacua , & inanis . Addimus insuper quod quilibet tam elector , quam consiliarius antequam procedat ad exercitium talis officii juret corporaliter semper accedere ad concilia , vel se convenire cum aliis quoties opus erit , & ibi bene legaliter expedire , dicere , & facere ad bonum , & utilitatem communis , & non fecus juxta suum posse , & nosce , & non facere , vel consentire contra formam nostrorum Statutorum , & ordinamentorum , & circa finem anni pro alio sequenti semper similis electorum depuratio , & per eos electio similis fiat , & semper concilium sit electum simili , seu eadem ut dictum est Potestate authoritateque fungatur , & de incepto perpetuo quoties opus erit , numquam tamen plures dè uno quarterio , quin dè alio esse possit immo semper de uno quoque quarterio paris numeri esse debent alioquin nulla sit electio .

*De electione , & balia consilia consiliariorum credentie .*

## C A P. XV.

**C**oncilium Credentie nostri communis , prout nunc est de duodecim bonis hominibus quolibet renovandis ita duret per unum annum proximum , ac circa finem anni , et quoties opus erit taliter elegantur , et reformatur , videlicet ut per generale concilium depentur duodecim electores , de melioribus , et dignioribus ipsius concilii , qui electores moxquā deputati fuerint , et juraverint possint , et debeant , ex ordine quarteriorum pari numero proportionare , ordinare , et imbussolare duodecim carticias cartæ membranæ cum xii. hominibus consiliariorum pro qualibet cartucia , et talis cartucia reponatur in capsetta , et Sacristia Fratrum Minorum ad similitudinem Confalonierij , et Priorum , et similiter facere possint , et debeant de adjunctis ad

ad ponendum in loco deficientium , et in fine cujuslibet mensis quoties opus erit in concilio generali fiat extractio unius cartucie per Cancellarium , vel unum de Notariis , Potestatis , et homines , quorum nomina ibi descripta erunt , sint , & esse intelligantur conciliarii Credentie nostri communis . Volumus tamen , quod de hoc concilio nemo esse possit , qui non sit etatis saltim triginta annorum , et qui in catastro nostri communis non habet præmium suorum bonorum centum lib. supra . Providemus , etiā quod si , ex defectu numeri dictorum hominum dicti concilii , qui propter mortis præventionem , vel alium excusabile casum , haberi non possit dictus numerus xii. , possit per dictos electores tassari ad minorem , numerum que reduci concilii generalis voluntate , et deliberatione præhabita . Balam vero , et auctoritatem hujus concilii generalis esse volumus , ut possit per se totum , vel duas partes ipsius videlicet omnium partium , dummodo non minus , quam duas partes totius nostri sint præsentes providere , et deliberare pro Potestate an in concilio generali sint deducendæ , vel ne , ut infra in sequenti ordinamento continetur . Item ut possit ambasciata , et ejus missio , et expensa secundum formam Statuti deliberari . Item ut pro honorando Dominos Ecclesiæ Potestates , et Rectores possit expensas deliberare , et ex aliis quibuslibet causis pro utilitate , vel necessitate communis possint expensam deliberare , et facere per manum Massarii communis videlicet in xv. lib. den. ita tamen quod aproben tur in concilio generali . Additum est , ut nullus non oriundus de Monte Sancto possit de dicto concilio credentie esse , vel eligi .

*De celebratione Conciliorum , & præpositis , & partitis , & pœnis excedentium in eisdem .*

## C A P. XVI.

**Q**uartuor esse constat ordines conciliorum nostri Comunis videlicet Concilium credentie , concilium generale , parliamentum , atque cernita , ad quorum celebrationem non aliter quam his modis , & formis procedatur alias sint nulla , & vana ipso jure cum omnibus inde sequitis , & sequuturis . Primo namque singulæ proprieatæ nominentur , & deliberentur inter Confalonerium , & Priores in domo eorum officii misso inter eos partito per Confalonerium , vel per Cancellarium , & quod per majorem partem eorum

C

## LIBER

26

rum obtentum fuerit possit reduci , & proponi in concilio credentiæ , vel si maluerint , Confalonerius , & Priors possint reduci , & proponi in cernita bonorum hominum ab eisdem , electorum numero sexdecim ad minus videlicet quatuor per quarterium de melioribus , & dignioribus oriundis de Monte Sancto , & apretiatur in catastro communis in centum libr. super . Concilium autem generale non possit celebrari , nec in eo proponi , nisi juxta deliberationem credentiæ . Parliamentum vero universale nullo modo celebrari possit , nisi juxta deliberationem , & confirmationem concilii generalis , nec ullum concilium generale congregari , vel fieri possit in aliquo , nisi prout , & sicut maluerint , & provideant Confalonerius , & Priors pro tempore , Potestas autem nostri communis , & ejus Vicarius pœna centum lib. den. qualibet vice de eorum salario , teneatur , & debeat bandiri facere , atque pulsari , & congregari facere quodcumque concilium nostri communis , ut moris est , atque celebrari per omnia ad voluntatem , & petitionem Confalonerii , & Priorum pro tempore secundum formam Statutorum , & ordinamentorum nostrorum . Cancellarius vero , statim pulsatis conciliis , vel vocatis per banditorem , semper statim in loco ipsius concilii requirat consiliarios , & absentes puniet , & puntatos iterum requirat , & absentes in ea requisitione puniat , vel puniri faciat per officiales Potestatis usque in quinque solid. den. salvis excusationibus justis . Recusante autem Potestate , & ejus Vicario deficiente , & absente à nostra Terra , tunc Confalonerius , & Priors possint concilia celebrare per omnia oportuna , & in eis proponere , ad partitum mittere , & reformare , prout viderint expedire , servata semper forma , & sollemnitate Statutorum , & ordinamentorum . Prohibemus quidem ne in aliqua proposita deliberatione reformatorum nostrorum conciliorum possit expediri , fieri , vel reduci aliquid , quod esset contra formam alicujus nostri Statuti , vel ordinamenti , suspensio , derogatio , vel cessatio . Nec alicujus condemnationis , aut processus criminalis , vel quevis relassatio , dilatio , vel remissio , nec alicujus doni , ambitiosis communis exibitio , promissio , aut impensio , aut translatio , vel remissio damnsa , nisi præmissa forma alicujus Statuti nostri communis , vel pro eviidenti bono , utili , & salutifero ipsius communis , vel universitatis ejus . Partita , seu partiti super arengis propositis , & reformationibus cuiuslibet dictorum conciliorum mittantur

## PRIMUS.

27

tantur non aliter , quam ad bussulas , & ad palloctas videlicet ex provisione Confalonerii , & Priorum providentium , cujus dictum , sive concilium ad partitum mittatur super proposita , quarum bussularum una sit alba , altera rubra , vel nigra , vel non , & quidquid , & omne id , quod in modis , & formis jam dictis actum , factum , propositum , consultum , arengatum , & deliberatum fuerit in dictis conciliis , & finaliter obtentum , & approbatum per duas partes totius ordinis , & numeri fuerint partes videlicet missis , & inventis duabus partibus , vel ultra palloctarum , & in aliqua bussula computatis per Cancelarium in ipso concilio refirmetur , servetur , & executioni mandetur , ac valeat , & sit firmum , non obstantibus aliis deficientibus , vel nolentibus consiliariis , nec palloctis in contrarium missis , vel inventis , nisi plures palloctæ reperiantur in ambabus bussulis , dum computantur quam fuisse , seu essent consiliarii mittentes , & præsentes , quo casu partitum , seu partitus ipso jure non valeat , sed potius denuo possit , & debeat ad palloctas mitti , & iterari . Excipimus autem à predicta regula mittendi partitum ad bussulas , & palloctas , casus , & causas infrascriptas videlicet , dum tractaretur de salario alicujus officialis debito per formam alicujus nostri Statuti , vel constitutio- nis Curiæ generalis , vel de aliquo debito persolvendo ex simili forma , vel dum tractaretur de aliquibus litteris mandatis , seu perceptis alicujus Domini Prætoris , aut Rectoris pro Romana Ecclesia præsidentis , vel alicujus eorum officialis , vel si tractaretur de Talia solvenda Cammeræ , Ecclesiæ , vel alia solutione facienda ei- dem , vel de mittendo pro ipsa in aliquod exercitium , vel ser- vitium debitorum . In quibus exceptuatis casibus possint etiam de- levando ad sedendum mitti partita ad arbitrium , & descretionem Confalonerii , & Priorum . Item ab eo quod dictum est supra videlicet non celebrari concilium generale absque deliberatione concilii credentiæ exceptum esse volumus concilium generale , quod fieret pro constitutione alicujus Scindici , vel Procuratoris comuni- nis , vel per alias summas criminales ferendo , vel per alias litteras alicujus Pastoris , vel Rectoris Ecclesiæ festinantes legendo , vel per aliquem Dominum honorando ex prædictis . In quibus ca- sibus etiam omissa deliberatione concilii credentiæ possit genera- le concilium celebrari arbitrio , & deputatione Confalonerii , & Priorum prædictorum , & partita in his casibus , & quolibet co- rum

C 2

rum possit etiam delévando ad sedendum mitti, non obstante formā superius data de bussolis, & palloctis. In aliis autem casibus non exceptuatis quicquid contra dictas formas in aliquo concilio fieret, vel factum esset, non valeat, nec executioni mandari possit. Excedentes in aliquo concilio videlicet veniendo, dum non esset de numero ipsorum, vel non recedendo ex mandato officialis, vel in eo persistendo, dum consulitur, & reformatur super suo privato commodo, vel in ipso concilio exclamando, seu arengando, vel dicendo super proposita alibi, quam more debito, & in arengheria consueta, vel plusquam semel, arengando super eadem proposita sine licentia officialium, vel non mittendo ambas manus in bussulas, vel plusquam una palloctam mittendo, aut alium excessum, aut defectum in concilio committendo contra bonos mores, seu etiam sedendo prope bancam, & locum, ubi sedent officiales ad celebrandum concilia, non distantem per unum passum cum dimidio, puniatur per officiale Potestatis, vel per Cancellarium pro quolibet delinquente, & qualibet vice per quinque solid. den., usque in centum sol. den. & ultra, juxta qualitatē delicti, & personarum, & voluntatem Dominorum Confalonerii, & Priorum. Et nihilominus præcise ad factum compelli possit, & simili modo puniri consultor, vel arregator devagans, & consulendo dicens extra propositam. Item quinque dumtaxat arrengatores possint dumtaxat exurgete in eodem concilio; postquam numerum, qui exurgeret, & qui consuleret, puniatur, ut dictum est, ad similitudinem prædictorum, & ejus dictum, & concilium non valeat nisi ex voluntate Confalonerii, & Priorum hoc fieret, aut plus, vel aliter consultatum, quo casu valeat, & impune fiat. Jurare tenetur, & debeat coram officialibus ante omnia, quilibet consiliarius exurgens, & accedens ad arrengandum, sive consulendum dicere, & consulere bona fide, & legaliter ad bonum communis, omni affectione, & fraude remota. Alioquin concilium, & arrengamentum ipsum non valeat, nisi ad memoriam reductus de novo juraverit, & concilium sub juramento ratificaverit, seu repetierit, quod tunc valeat, ac si jucasset ab ipso principio.

Quod

Quod Consiliarii honeste in quolibet concilio morentur, & de verbis injuriosis in concilio dictis.

**U**bi tractatur de universalī salute opportet, ut tractetur per homines circumspectos, & morum gravitate circumspicuos, non autem debeant in talibus colloquiis homines, qui, postpositis moribus tamquam in plateis essent, non ponderatis verbis, sed solum prout eis voluntas appetit, alloquuntur. Sane ad refellendam talium immorigeratam audaciam, statuimus quandocumque acciderit quod in Terra Montis Sancti fiat concilium generale, vel speciale, vel cernita, vel aliqua congregatio gentium, & ubi debeat tractari de factis nostri Comunis, omnes consiliarii, & in dictis concilio, cernita, seu congregatione, & coadunatione praesentes, & congregati debeant in dictis locis stare honeste, & morari, & diligenter, & patienter audire propositam, & arengantes super dictis, & propositis, nec loquantur, dum Potestas loquitur, vel aliquis ex Prioribus, vel Vicarius, vel etiam dum consultor super arengaria loquitur; qui autem contrafecerit, puniatur de facto qualibet vice per dictum Potestatem, vel Vicarium in solid. viginti den. Qui vero surrexerit in pede de loco suo dicendo aliquod tempore dicto, dum proposita legitur, vel aliquis ex supradictis loquitur, puniatur de facto per Potestatem, vel Vicarium in lib. quinque denar. & qui dixerit in aliquo dictorum locorum, mittat tale partitum, cum hoc non spectat, nisi ad Dominum Potestatem, vel Vicarium usque in x. lib. denar. Qui vero fuerit tantæ temeritatis, & audaciæ, quod postquam fuerit silentium sibi semel impositum per dictum Potestatem, vel Vicarium, vel Dominos Piores, vel aliquem ex eis non reffrenando appetitum suæ pravissimæ voluntatis, sed potius talia, & similia dicendo, vel se furiose de loco erigendo, condemnetur, vel puniatur de facto usque in centum libr. denar. ad arbitrium Dñi Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum, qui si eis expeditre, & convenire videbitur etiam ad confinia ubicumque eis videbitur transmittatur, aliquo capitulo, vel Statuto huic contrario non obstante. Item ad compescendam superbiam aliquorum statuimus,

L I B E R

<sup>30</sup> tuimus, quod nullus audeat, vel præsumat dicere alicui ex consiliariis existenti in aliquo concilio generali, vel speciali, vel in cernita, vel in aliqua congregatione gentium coadunata in Palatio Domini Potestatis, vel Vicarii, vel Dominorum Priorum aliqua verba injuriosa, vel minatoria, vel reimproperatoria, poena x. libras denar. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, quam poenam dictus Potestas statim exigat de facto sine aliqua remissione à dicto contrafaciente, & si Potestas non esset in Terra Montis Sancti, ejus Vicarius faciat executionem sub poena Potestati, & Vicario xxv. libr. denar. Si vero aliquis dixerit Dominio Potestati, vel Vicario, vel Prioribus, vel alicui eorum, vel alicui Officiali, dum Comunis existens in aliquo dictorum conciliorum ut supra dictum est, aliqua verba injuriosa, vel minatoria, vel reimproperatoria, puniatur statim de facto per dictum Potestatem, vel Vicarium ut supra dictum est in lib. xxv. den. siue aliqua remissione, poena Potestati, vel Vicario libr. quinquaginta denar. quod Statutum volumus in Terra nostra inviolabiliter observari.

*Quod arbitrium concessum Potestati intelligatur  
concessum Prioribus.*

C A P. XVIII.

**S**TATUIMUS, & ordinamus, quod ubicumque, & quotiescumque in aliqua parte nostrorum Statutorum invenitur concessum, sive attributum aliquod arbitrium nostro Potestati, vel Vicario circa augmentationem, vel diminutionem aliquarum poenarum, vel circa aliquid aliud incumbens in nostro Comuni, quod dictum arbitrium intelligatur, & sit etiam datum, attributum, & concessum Dominis Prioribus nostræ Terræ pro tempore existentibus una cum dictis Potestate, & Vicario. Ita quod ubicumque invenerit scriptum in aliqua parte nostrorum Statutorum, ad arbitrium Potestatis, & Vicarii, vel æquipollentia verba, intelligatur etiam posita ibidem ista clausula, etsi dicta verba posita non fuissent. Adeoque Potestas, & Vicarius in talibus casibus absque Prioribus, vel majorem parte ipsorum nullum arbitrium habeat vigorei præsentis Statuti.

De

P R I M U S.

<sup>31</sup>

*De faciendo quatuor Confaloneros, & de Officio eorum.*

C A P. XIX.

**P**RO conservatione boni, & pacifici status Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Terra nostra, & præsentis boni, & pacifici populares status, statuimus, & ordinamus, quod in Terra Montis Sancti sint, & esse debeant quatuor Confalonieri videlicet de quolibet quarterio unus Confalonarius, qui eligatur per Concilium generale, & imbuſſuletur; quorum officium duret per sex menses, & antequam compleatur tempus sex mensium, per quinque dies fiat concilium generale in quo renoventur, & extrahantur de buscula alii quatuor Confalonieri, & sic in perpetuum fiat. Qui Confalonieri sint boni, & legales, & sapientes homines, & cum omnino discretione, & populares, & de populo dictæ Terræ, & sint fideles, & zelatores, & amatores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præsentis pacifici popularis status, & sint majoris etatis xxx. annorum. Quibus Confaloneriis, & cuilibet eorum in Klend. dari debeant per dictum Potestatem unacum Prioribus dictæ Terræ, qui pro tempore fuerint, pacis osculo interveniente, & mediante, dicti Confalones, unicuique Confalonero suus confalonius, in quibus confalonibus sint picta arma Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & arma communis Montis Sancti, & ibidem etiam sit picta imago illius Sancti, qui est caput illius quarterii ad hoc, ut ille Sanctus sit advocatus dictæ Terræ, & dicti quarterii, & etiam ut quilibet recognoscat confalonem suum. Qui Confalonieri tunc jurent ad Sancta Dei Evangelia corporaliter manu tactis scripturis, vel Statutis dicti Comunis, & super eis in manibus Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum, qui pro tempore fuerint, quid eorum officia bene, & audacter, viriliter, & legaliter exercebunt ad honorem, & statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & populi Montis Sancti, & parere, & obediare mandatis Domini Potestatis, & Vicarii, & Dominorum Priorum, & quandocumque fuerint requisiti per eos cum eorum juratis, & dictis deputatis, venire, & obediare debeant eis ad omne ipsorum mandatum, & requisitionem; & ubi Potestas, vel Vicarius, vel Piores vellent aliquam executionem facere pro bono statu nostræ Terræ, prædicti Confalonieri, vel

vel aliquis eorum, qui fuerit requisitus statim cum suis juratis, & deputatis armatis, ad eos venire debeat ad Palatium, & dare dicto Domino Potestati, vel Vicario, vel Prioribus in dicta exequitione fienda, auxilium, consilium, & favorem. Ita quod talis exequutio non possit, vel debeat impediri, vel aliqualiter retardari, prætestu audaciæ, & potentia alicujus pœna c.c. libr. denar. pro quolibet sub non comparente, & pro quolibet ejus socio jurato, & deputato non obbediente. Qui quatuor Confalonieri cum eorum deputatis, si acciderit quod elevaretur aliquis rumor in Terra Montis Sancti, pulsaretur campana communis, & ad rumorem statim prædicti xxv. homines deputati debeant cum eorum armis trahere ad eorum Confalonerium, & quilibet Confalonarius cum dictis eorum xv. hominibus deputatis armatis, ei cum Confalonerio debeant trahere ad Palatium Domini Potestatis, & Dominorum Priorum, & se præsentare coram eis, & parere, & obedire eorum mandatis, & non discedere de platea absque voluntate, & licentia Dominorum Potestatis, & Priorum. Nec debeant, nec ire, nec trahere ad Domum alicujus Magnati, vel alicujus specialis personæ; nec eisdem dare auxilium, consilium, & favorem, sed solum facere ea, quæ sunt eis imposita per Dominos Potestatem, vel Vicarium, vel per Dominos Piores supra existentes, sub pœna jam dicta, tam Confaloneriis, quam eorum deputatis. Hoc addito si aliquis ex dictis Confaloneriis scienter, & male modo non trahet ad Palatium Domini Potestatis, & Dominorum Priorum, ut supra dictum est, sed iret ad Domum alicujus specialis personæ, tempore rumoris, vel quando pulsaretur campana communis ad rumorem, quod eidem caput à spatulis amputetur, & bona ejus omnia mobilia debeant publicari, & pro comuni pœnitentiis confiscari. Sub qua pœna similiter teneatur illa specialis persona, ad quam, seu ad cuius Domum dicto tempore Confalonarius supradicto modo iverrit de ejus voluntate, & ipso sciente, & non contradicente, sed potius eum receptante. Et quod quilibet Confalonarius debeat habere suos xxv. homines deputatos in scriptis in carte bambacinæ apud, se ita quod ad sui petitionem requirere possit; & ipsi omnes ad sui requisitionem eidem obedire teneantur pœna xxv. libr. den. pro quolibet contrafaciente, & non obbediente, nisi justa, & evidenti causa talis inobedientis fuerit impeditus, quo casu non teneatur ad pœnam.

*De centum juratis de populo, & de eorum officio.*

I Tem statuimus, & ordinamus, quod per Dominos Potestatem, & Vicarium, & per Dominos Piores Terræ Montis Sancti eligantur centum probi, boni, & sapientes homines, qui sint boni, probi, & discreti, & populares, & de populo nostræ Terræ, & amatores, & zelatores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præsentis popularis status videlicet de quolibet quarterio xxv. qui jurerint in manibus Dñi Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum ad Sancta Dei Evangelia corporaliter manu tactis scripturis de parendo, & obediendo mandatis Domini Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum communis Montis Sancti, qui pro tempore fuerint, eorum officium bene, & legaliter exercere, quorum officium erit istud: quoties acciderit, quod in nostra Terra Montis Sancti aliquis rumor insurgeret de die, vel de nocte statim armati eorum armis trahant ad Confalonerium sui quarterii, & dictum Confalonerium sequuntur in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & nostri populi, & præsentis popularis status, & esse in favorem Domini Potestatis, & Vicarii, & Dominorum Priorum pro tempore existentium, qui totis viribus eorum, & toto posse erunt contra omnes homines, & personas cujuscumque status, præminentia, & conditionis existant, qui perturbarent, & perturbare vellent, vel præsumerent statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vel præsentem statum pacificum, vel qui facerent aliquem rumor, sed solum ibunt cum eis ad Domum eorum Confaloniorum, vel ad Domum sui Confalonieri quilibet, & deinde cum dicto confabone ad Palatium Potestatis, & Dominorum Priorum, & si aliquis dictorum juratorum de populo, tempore alicujus rumoris, & pulsationis campanæ communis, ad rumorem non traheret ad Domum sui Confalonieri, nisi justam, & evidenter causam impedimenti haberet, condemnatur in libr. xxv. denariorum, & privetur, & removetur à dicto officio. Si vero scienter, & malo modo non traheret ad suum Confalonerium, sed traheret ad Domum alicujus specialis personæ condemnatur in libr. c.c.c. denar. quas si non solverit infra decem dies latæ sententiæ condemnationis computandos, amputetur eidem unius pes

pes ita quod à gamba pœnitus separetur , & si haberi non potest, fiat exequutio in bonis suis usque ad dictam quantitatem, in quam pœnam similiter incidat illa talis persona ad quam, vel ad cuius Domum talis juratus iverit tempore dicti rumoris eo sciente, volente, & non contradicente, sed potius acceptante. Qui omnes jurati debeant etiam obedire eorum Confalonieriis in omnibus, quæ essent, & esse possent in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præsentis pacifici popularis status sub pœna xxv. libr. denar. pro quolibet non parente, & nulla persona, quæcumque, fuerit, debeat dicere dictis Confalonieriis, vel alicui eorum, aliquod verbum injuriosum; durante eorum officio, dicto tempore, occasione sui officii pœna xxv. lib. den. pro quolibet contra faciente, nec alicui jurato in populo dicto modo pœna decem libr. denar. quod Statutum in Terra nostra debeat observari &c.

*De officio, & electione Protestatorum Comunis.*

C A P. XXI.

**P**rotestatores, prout habere consuevimus ab antiquo, sic de cœtero habeamus quatuor num. ad scarfiñas in nostro concilio generali, unum videlicet per quarterium, quorum unus sit peritus si reperiatur in Monte Sancto de jurisdictione Comunis, & aliorum saltim duo sint litterati, & ipsorum unus sit Notarius saltim, & quilibet ipsorum sit oriundus de Monte Sancto, & possideat bona immobilia apretiata in catastro nostri communis ultra centum quinquaginta libr. quorum officium postquam juraverit corporaliter, eorum officium bene, legaliter, & diligenter exercere ad bonum, & utilitatem communis secundum formam nostrorum Statutorum, prout melius poterunt, sit, & esse possit, & debeat in protestando omnibus, & singulis officialibus, administratoribus, & Massariis communis, & etiam in contradicendo cum rogatione Cancellarii, vel alterius Notarii, nec aliquam expensam, propositam, deliberationem, seu etiam reformatum faciant, vel consentiant in damnum communis, vel contra formam Statuti, & ordinamentorum Comunis nostri. Salvis semper expensis licitis, seu debitibus per formam alicujus ordinamenti nostri Comunis, in quibus protestatio vera absit. In aliis vero eorum protestatio, seu contradictione in predictis plene valeat, ac si per totum comunem fa-

cta foret, intelligatur habere in predictis omnis, vel major pars ipsorum legitimas personas, & plena mandata, & quod unus ipsorum præsentibus aliis, vel majori parte ipsorum dixerit protestando, vel contradicendo omnes alias dixisse intelligatur. Ne autem eorum præsentia, vel aditus repellatur, determinamus expresse, ut, non obstante Statuto contrario, possint, & debeat interesse quibuslibet conciliis, deliberationibus, & expensis nostri communis, sive solutionibus facientis, ac etiam calculis, & rationibus communis calculandis per se, vel majorem partem ipsorum. Visa autem, & audita contradictione, & protestatione ipsorum evidenter, & juridica, & non calumniosa maxime per ostensionem alicujus Statuti impugnantis, vel per evidentiā facti, nemo officialis, vel alius audeat contra facere, vel præterire ulterius procedendo contra protestationem verbo, vel facto pœna x. libr. denar. sine licentia in concilio obtenta, & quod ultra, contra, vel præter actum, dictum, seu factum fuerit, non valeat. Item ipsis protestatoribus in Domo habitationis officii Confalonierii, & Priorum, & in ipsorum præsentia denegari non possit, sed potius debeat exhiberi scriptura, & libri tam expensarum, & introituum, quam reformationum communis causa rationes communis providendi pœna contrafacientis centum solid. denar. pro qualibet vice. Et Cancellarius communis, & quilibet Notarius de Monte Sancto rogatus ad petitionem ipsorum, & faciat facienda in predictis pœna xl. solid. denar. qualibet vice. Officium eorum de singulis vicibus duret per sex menses, quo durante, Potestas, vel ejus Judex, & Curiæ in more criminalibus causis contra eos, vel aliquam ipsorum non possit procedere ullo modo, nisi de consensu, & voluntate ipsorum, seu ipsius. Postea autem licite possit: pœna Potestatis, vel officialis contrafacientis lib. l. denar. qualibet vice. In fine vero semestris temporis confestim dicto modo simili successive habeantur. A predictis excipimus solutiones, & quantitates minutæ à xxx. sol. den. infra, quæ fierent particulariter, mandato Confalonierii, & Priorum usque in quantitatem quam eis licet expendere, vel quæ per Massarium communis fieret in solutionibus bajulorum, vel nunciorum dominorum, vel majoris curiæ. Item excipimus expensam, quæ fieret ex deliberatione concilii generalis. Item exemptionem, quæ fieret alicui per formam Statutorum, in quibus casibus dictæ protestationes, & contradictiones locum non habeant. Caveant autem, & abstineant protestatores, ne ob garam, tedium, vel invidiam protestentur, vel contradicant quo magis debitam

tam solutionem, & expensam impediāt pœna xxv. libr. denar. pro quolibet ipsorum, & quolibet vice.

*De electione Massarii, sive Camerarii Comunis, & ejus Notarii.*

## C A P. XXII.

**M**assarius, sive Camerarius nostri Comunis, & ejus Notarius elegantur vice qualibet in concilio generali ad scrutinium secretum scribendum à Cancellario, vel ejus Vicegerente in præsentia Notarii Potestatis; non tamen possit eligi aliquis eorum minoris etatis xxv. annis, nec habens in catastro communis extimam minorem centum libr., & semper ex ordine quarteriorum fiat electio ad viceniam, non ad saltum, sed continue officium eorum duret singulis vicibus per duos menses, qui præstito juramento de eorum officio bene, & legaliter exercendo secundum formam Statutorum, & ordinamentorum nostri communis, sic eorum exerceant officia, ut talis Massarius, sive Camerarius præstitis duobus idoneis fidejussoribus de Monte Sancto possessoribus immobilium ibidem extimatorum in præcio Comunis pro quolibet centum libr. vel ultra, recipiat, & faciat omnes, & singulas solutiones pecuniarum, & rerum introituum, & exituum Comunis prædicti. Nec per manus alias recipi, vel fieri possit, nec aliquis aliis audeat ad introitum recipere, vel ad exitum pendere, vel solvere, nisi ipsi Massario, vel alter sibi de pecuniis, & bonis communis in Terra Montis Sancti, vel ejus districtu, nec in contrarium proponere, consulere, reformare, scribere, vel executioni mandare: pœna L. libr. denar. pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus quicquid fecus factum fuerit, tam in eligendo, quam in solvendo, vel recipiendo de pecuniis, & bonis communis, sit ipso jure nullum. Notarius vero ipsius Camerarii, sive Massarii semper scribat diligenter, & tempestive prædictas solutiones, & receptiones Massarii in libris deputatis, & idoneis secundum formam Statuti proxime sequentis ad pœnam in ipso contentam. Massarius quoque ejusdem Statuti formam observet.

*Qua-*

*Qualiter Massarius, sive Camerarius recipiat introitus, & expendat, & qualiter scribantur.*

## C A P. XXIII.

**O**fficium Camerariatus nostræ Terræ Montis Sancti durare volimus de duobus mensibus in duos menses, qui teneantur bene, & diligenter ejus officium exercere, absque dolo, & fraude aliqua, & in factis dicti communis ad ejus officium spectantibus, & pertinentibus esse sollicitus, & fidelis, & quantitatem quamlibet solutionis introitus, vel exitus communis dandam, vel recipiendam per Massarium, sive Camerarium prædictum pro comuni tempore sui officii recipiat, atque solvat ipse Massarius, sive Camerarius, non aliter quam in præsentia Potestatis, vel Vicarii, & duorum saltim ex Prioribus, vel in præsentia Confalonerii, & omnium Sociorum ejus Priorum pro tempore, aut Cancellarii cum prædictis Prioribus cum bulla tamen exitus, & solutionis facta, & bullata sigillo Comunis, & Potestatis, qui pro tempore erit, & non alibi, quam in Palatio Potestatis, vel in Platea Comunis, aut in Domo Officii Prioratus, ubi statim per manus sui Notarii in præsentia eorumdem scribi faciat ipsam solutionem factam, & receptam in ordinato, & deputato libro introitus, vel exitus officii, & communis prædicti exprimendo nomen solventis, & recipientis, & causam quare; & diem solutionis, & præsentiam prædictorum officialium. Qui omnes, & singuli vinculo juramenti, & pœna x. lib. den. qualibet vice teneantur ad requisitionem dicti Massarii, vel alterius partis personaliter accedere, & interesse prædictis, & dictus Notarius, (ut dictum est) scribat sub pœna prædicta. Salvis, & exceptis minimis quantitatibus persolvendis usque à xx. solid. infra. Majores vero expensas, aut alias diversas non faciat, nisi modis, & cautelis contentis in hoc, & in prædicto ordinamento, & ad fraudibus obviandum caveat Camerarius, ne aliquas majores xx. solid. summas, vel quantitates debiti communis, vel solutionis fiende dividat, vel dividi patiatur in particulas per ejus solutionem. Alioquin omnes particulares hujusmodi solutiones divisim factæ pro una summa respectu totius debiti reputentur, & per omnia censeantur secundum formam ordinamentorum, & contrafaciens solvendo sic fraudolenter, vel recipiendo, & contra, vel præter ipsas formas, vel infrascri-

D

ptas

ptas expendens, intelligatur de suo proprio expendisse, & tantundem in Comuni refundat. Item Potestas, vel Officialis nullatenus, vel aliquo colore adhibito, audeat, nec possit Massarium, sive Camerarium prædictum, vel Notarium ejus, aut alias quaslibet personas, officiales, vel privatas, & maxime aliquem cultorem, seu exactorem pecuniarum comunis, sive pro salariis, sive ex alia quacumque causa, vel prætestu aliquo, cogere, vel quomodolibet compellere ad solvendum aliquid, vel aliquam pecuniae quantitatem sibi, vel alteri, seu aliis, contra, vel præter aliquam formam præsentis ordinamenti, vel alterius Statuti, seu ordinamenti Comunis, & hominum Terræ Montis Sancti, nec contra deliberationem Concilii generalis, vel specialis dicti Comunis, nec ad aliquid scribendum contra, vel præter prædictam, nec ad consentiendum, sed potius abstineat, sciens omnem processum, qui contra prædictos, vel aliquid prædictorum formaretur, vel fieret, dicta de causa. Omneque præceptum, & omnem actum noxiū cum poenī, condemnationibus, & tota sequela per hujus ordinamenti compositionem, fore, & esse nullius valoris, atque momenti, si quidem dixerit, vel oblique, aut quolibet modo fierent, vel facerent occasionibus prædictis, vel aliquā ipsorum, & maxime obtentum mandati recessus à factis, vel non factis solutionis, comparitionis, vel non factæ scripturæ, & similium earum verisimiliter suspectarum, quæ quidem causæ semper consistant in declaracione, & discretione Dominorum Confalonierii, & Priorum, & majoris partis Protestatorum Comunis. Officialis autem contrafaciens in prædictis, vel aliquid prædictorum, sive Potestas, sive aliis fuerit, vice qualibet, & pro qualibet in lib. x. den. puniatur applicand. Comuni prædicto. Item pecunia, res, vel quantitas Comunis ad certum actum, vel usum deputata ad alium possit nullatenus trahi, expendi, vel converti, sed tantum ad illum proprium, ad quem ordinata, deliberata, vel imposita fuerit, nisi per deliberationem concilii generalis, ex aliqua evidenter utili, vel necessaria causa communis expresse aliquid, seu aliter deliberatum extiterit. Condemnationem aliquam, non audeat Massarius, vel ejus Notarius cassare, vel cancellare in totum, vel in partem, nec aliquam aliam scripturam ex qua deberetur, vel deberi probaretur aliquid in comuni prædicto, neque alia aliqua persona id facere præsumat, poena cujuslibet contrafaciens lib. xxv. den. qualibet vice. Præterquam licite possit Notarius Massarii ex mandato, præsentia, & con-

consensu Potestatis, & Vicarii, & Confalonierii, & Priorum populi, vel majoris partiis eorum cum duobus saltim ex Protestantibus. Alioquin talis cassatura, sive cancellatura habeatur, & reputetur profala, & invalida; contrafaciens puniatur, ut dictum est, & nihilominus de suo proprio tantundem quantitatis in comune refundat de facto. Item Potestas, & quilibet aliis officialis ad petitionem Massarii, & ejus Notarii teneatur compellere oportunas personas ad solvendum, & exequutiones pecuniarum, & rerum communis facere, & quorum præsentia opportuna esset super aliquo spectante ad officium ipsius Massarii compellat debitibus remediis ad comparendum. Notarius autem libros sui idest communis Massarii per ordinem, & diligenter, tam introitum, quam exitum conscribat, & publicet, & publicatos rite ipse una cum Camerario restituat Confaloniero, & Prioribus pro tempore infra tres dies post finem eorum, officii super quibus libris ad rationandum, & calculandum Rationatores communis indilate moniti pro parte Confalonierii, & Priorum adhibeatur in absentia Massarii, & ejus Notarii, itaquod infra tres, vel quatuor alios dies immediate sequentes hujusmodi calculationis ratio sit perfecta, & per Rationatores reassignata, & declarata comuni videlicet reducta in scriptis in registro communis per manum Cancellarii, vel ejus Vicegerentis in præsentia saltim trium, & Confaloniero, & Prioribus. Negligentes prædicta, tam Massarius, & ejus Notarius, quam Confalonierius, & Piores quam etiam Rationatores, & Cancellarius pro quolibet ipsorum, & qualibet vice in solid. xx. denar. puniatur, & talis register, scriptura ut supra facta de dictis Rationatoribus habeat, & habere intelligatur vim, & effectum suum tam pro comuni, & e contra, quam pro Massario, & e contra, sicuti, & inquantum plus, vel minus hinc, vel inde supplendum, vel refundendum, seu etiam compensandum, dicta scriptura registrante ratio declaret. Itaque sola exequutio dum opus eset supersit agenda, quo casu tam Massarius communis, quam e converso sicut dicto modo deberi apparuerit, restituere, seu refundere infra triduum compellatur sine alia summa, vel condemnatione ferenda, vel expectanda, nisi de speciali gratia dictus terminus rite fuerit prorogatus, quo casu ille terminus observetur, & qui in dicto termino quod debeat recusaverit, duplum refundere illico teneatur, atque cogatur, & Potestas, & alii officiales sub poena tantundem hoc exequi teneantur ad petitionem partis jus habentis. Salarium ipsum

## L I B E R

<sup>40</sup> Massarii, & Notarii pro dicto tempore trium mensium esse volumus de C. libr. den. parvorum, quas decem libras salariorum liceat eis retinere, & ad exitum ponere, habeant etiam cartas ad dictum officium oportunas expensas communis, & arbitrio, & prudentia Confalonierii, & Priorum. Noverit autem Camerarius ut quoties expensam, vel solutionem aliquam fecerit, aut promissionem de pecunia, vel habere communis, vel proprio comuni, contra formam, vel praeter alicujus Statuti, ordinamenti, vel solemnis deliberationis conciliorum nostri communis, semper vigore hujus legis intelligatur, & reputetur de suo proprio expendisse, & promississe, nec sibi ad communis exitum possit admitti.

*Qui introitus, & expensa legantur in Concilio generali quolibet mense.*

## C A P. XXIV.

**U**T fraudibus obviatur statuimus, & ordinamus quod Potestas qui pro tempore erit, Confalonarius, Piores, Camerarius, & Cancellarius vinculo juramenti ad pœnam xx. florenorum auri pro quolibet singulis mensibus teneantur, & debeant legi facere in concilio generali nostræ Terræ omnes introitus, & expensas dicti communis factas tempore cuiuslibet Camerarii tunc temporis existentis, & legantur per Cancellarium dictæ Terræ; alias si lectæ non fuerint habeantur pro non factæ, & Camerarius, & Cancellarius non legens, ultra dictam pœnam, teneantur, & debeant dicto Comuni dictas expensas restituere, & ad exitum dicti Comunis Rationatores, qui habebunt videlicet rationem dicti Camerarii videre, nullatenus admittantur.

*De Scindicatu Camerarii, seu Massarii Communis.*

## C A P. XXV.

**R**ERUM quia æquum est, ut quilibet suæ administrationis debat reddere rationem, statuimus, & ordinamus, quod per duos dies ante finem officii cuiuslibet Camerarii, Potestas, Confalonarius, & Piores congregari, & coadunari faciant concilium generale dictæ Terræ Montis Sancti in quo concilio elegantur qua-

## P R I M U S.

<sup>41</sup> tuor boni viri dictæ Terræ de quolibet quarterio sit unus <sup>reverendus</sup> qui jura re debeant in manibus Potestatis ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tactis scripturis bene, legaliter, & fideliter facere, & exercere eorum officium, & teneantur dicti quatuor electi, una cum Potestate, & duobus ex Prioribus dictæ Terræ de proximo, tunc intraturis videre omnes, & singulas rationes Camerarii, qui pro tempore duorum mensium fuerit, & ipsum Camerarium postquam viderint ejus rationem infra quartam diem à die exitus dicti Camerarii computandam, lectis prius introitibus, & expensis dicti Comunis in concilio generali dictæ Terræ, & in dicto concilio absolvere, vel condemnare, & si contingat ipsum condemnatum esse, teneatur Potestas vinculo Sacramenti, & ad pœnam xxv. florenorum auri ita, & taliter facere cum effectu, quod dictus Camerarius effectualiter solvat dictam quantitatem, in qua extiterit condemnatus, dictum Camerarium personaliter, & realiter astringendo, & teneatur dictus Potestas cum dictis quatuor sic electis ante finem officii dicti Camerarii per unam diem facere sibi assignari libros dicti Camerarii, & in filiam bullarum, quas habuerit tempore sui officii, & eos eidem assignatos bullari facere cum bulla, sive anulo ipsius Potestatis, & cuiuslibet prædictorum quatuor, & ipsos libros finito officio dicti Camerarii tempore quo reddit rationem in præsentia illorum, de quibus supradictum est, revideant, & errores si viderint, declarent se cum dicto Camerario, & Cancellario, & ipsam ut supra dicitur secundum, quæ fecerit condemnent infra dictum terminum.

*De exequitionibus electorum ad officia Comunis admittendis, vel non.*

## C A P. XXVI.

**N**emo electus, nominatus, vel deputatus ad aliquid officium nostri Comunis per formam alicujus Statuti, ordinamenti, vel reformationis, aut deliberationis concilii generalis nostri communis, audeat, vel possit ipsum officium recusare, renunciare, vel se ab ipso excusare, sed potius teneatur, & cogi possit, & debeat statim acceptare, & jurare, & tempore congruo, & expedienti, officium illud operare, exercere cum salario deputato, vel deputando, & esse sine salario in casibus minimis modici laboris, in quibus ex statuto,

## L I B E R

to , vel consuetudine non deberetur salariū , videlicet in electori-  
bus officialium in superstantibus conciminus , in munitionibus terræ , vel  
districtus , in vialibus , Protestatoribus terrigenis , custodiis , vel supra  
custodia deputatis , & in similibus , in quibus absque salariis impen-  
dantur . Officia Comunis autem exceptionum admittendarum talia  
esse declaramus , videlicet gravis infirmitatis , & longinquæ proban-  
dæ Sacramento excusantis , & medici cum dicto unius testis , vici-  
ni , vel alicujus officii terræ forensis acceptati per octo dies ante de-  
putationem officii nostri comunis probandæ per Sacramentum excus-  
lantis cum aliquo indicio verisimili . Item absentia diuturna , & con-  
tinua per unum mensē ad minus ex rationabili necessaria , & pro-  
babili causa per octo dies saltim ante ipsius deputationem inceptæ  
probandæ per Sacramentum principalis , vel eum excusantis cum  
dictis trium testimoniis . Item repugnantiae suæ contrarietatis alicujus  
Statuti , vel ordinamenti nostri comunis . Item debiti , seu debito-  
rum pro majori parte suarum fortunarum , vel veræ , & non fictæ  
captivitatis , & coactionis inceptæ per octo dies ante , & durante  
per totidem post ejus deputationem , seu electionem in quibus casi-  
bus , & similibus , e quorum similitudine stetur declarationi , &  
arbitrio Potestatis , vel Vicarii , atque Confalonetii , & Priorum ,  
vel majoris partis eorum ; admittantur excusationes ; & excusati liberi  
relassentur , & alii , dum expedit , loco ipsorum deputentur . Quisquis  
autem electus , vel deputatus officialium , vel onus renunciando cau-  
sam aliquam non legitimam objecerit , vel allegaverit , aut esse le-  
gitimam causam non probaverit , in competenti termino prædictorum  
officialium arbitrio declarando ipso facto in x. libr. denar. & nihilo  
minus præcise ad acceptandum , & exercendum officium sibi injun-  
ctum .

*De Sacramento prestando , per Electores , & Electos  
ad negotia Comunis.*

## C A P. XXVII.

**Q**uilibet Electus , propositus , nominatus , vel deputatus ad ali-  
quid per Comune , vel pro Comuni , seu ad petitionem Co-  
munis faciendum per se , sive per alium , seu esse ad alias eligen-  
dum , nominandum , vel deputandum , seu ad operandum quo-  
quo

## P R I M U S.

quo modo super communis negociis , semper ante omnia juret , id offi-  
cium , vel negocium , quid facturus , dicturus , seu operatus est ,  
facere , & exercere , sive agere , & gerere bona fide , sine fraude ad  
bonum , & utilitatem Comunis , & secundum formam Statutorum ,  
& ordinamentorum nostri Comunis , & in electionibus semper eli-  
gere , ponere , seu deputare idiores , & legiores , & Potestas ,  
seu Vicarius , dum ad eos spectaret , videlicet quando per eos , vel  
præfentia eorum , & auctoritate res fieret idest deputatio hujusmo-  
di . Alias Confalonerius , & Priors , atque Cancellarius , vel  
alius officialis per quos talia explicarentur , hoc juramentum præstari  
minime prætermittant . Nec aliter ad exercitium , seu expeditionem  
procedi patientur , nisi præstito semper juramento prædicto pœna x.  
lib. den. pro quolibet ipsorum de eorum salario qualibet vice .

*De electione Scindici generalis , & de ejus Potestate , & officio.*

## C A P. XXVIII.

**H**abeatur , & sit in nostro Comuni unus Scindicus generalis de  
Terra Montis Sancti eligendus per Concilium generale ex or-  
dine quarteriorum continuo , qui oriundus sit de Monte Sancto eta-  
tis ad minus xxxv. annorum , & apretiatus de bonis in catastro nostri  
Comunis non minus c.c. libr. denar. , cuius officium duret qualibet  
vice per annum , & qui jam fuerit in dicto officio non possit iterum  
esse usque per quatuor annos completos . Qui Scindicus præstito cor-  
porali juramento , ut supra cavetur , ut decet , & præstis duobus  
fidejussionibus similis conditionis , & fortunæ idoneis , ad omnem pe-  
titionem Confalonetii , & Priorum , vel alicujus concilii dicti Co-  
munis , possit , & debeat occupare , & capere pro comuni , & in co-  
mune facere pervenire possessiones , & bona recusantium , debitas  
collectas persolvere , vel alia juxta causa debentes in comune per-  
venire , & maxime res mobiles Comunis , vel imobiles , quæ inde-  
bite per alios , seu aliquem teneretur , & de ipsis omnibus , & sin-  
gulis rebus possit , & debeat inventarium confiscare , & registrari fa-  
cere in registro comunis . Item ad petitionem , qua supra possit , &  
debeat pro Comuni vendentia vendere , & emenda emere cum  
omnibus , & singulis debitibus opportunis , & consuetis , clausulis ,  
punctis , & promissionibus , atque juramentis , obligationibus , &  
pœnis

pœnis bonorum : dum tamen prætia per manus Massarii , sive Camerarii communis semper rite solvantur , & recipiantur , & dummodo semper in superscriptis , & infrascriptis omnibus , & singulis pœnagendis , & explicandis observet formam Statutorum , & ordinamentorum ipsius communis . Alioquin facta , & facienda per eum non valeant ullo modo verbis , seu factis . Possit etiam promissiones nomine ipsius communis , & stipulationes , tam facere , quam recipere , ac etiam quietationes , & pacta semper cum deliberatione concilii generalis , dum contra comune obligatio , vel gravamen verteretur ; pro comuni autem possit etiam sine deliberatione prædicta , & in obligationibus communis , & in promissionibus , seu alienationibus rerum ejus fiendis per eum semper adsit præsentia Dominorum Potestatis , vel Vicarii cum duobus saltim Exprotestatoribus , atque Confalonero , & Prioribus , nisi speciale mandatum publicum exiberet Concilii generalis . Item possit , & debeat nomine Comunis ad petitionem qua supra à quolibet coimunis gravamine appellare , & provocare quoties opus erit , dicto tempore , & ab omni summa per quam laderetur Comune , & apostolos petere , & protestari , & contradicere , ac prosequi expensis suis . Item credita communis à debitoribus singulis possit exigere , & agere contra eos in curia Montis Sancti , & alibi convenire obnoxios per omnia , & singula opportuna , & ipsum Comune , & universitatem ejus plene , & legitime defendere , ac obligatos pro ipso comuni contra quascumque personas , & loca , sive collegia ubicumque expensis jam factis . Possit etiam , & debeat omnes , & singulos defectus , & excessus , tam Potestatis , quam aliorum officialium in officio , vel tempore officii commissos , ac de ipsis , & quolibet eorum , nomine communis Scindicario , tam ex suo motu , quam ad petitionem cuiuslibet Potestatis ipsos officiales , & quoslibet ipsorum prosequi tempore Scindicatus coram quibuslibet Scindicatoribus , dando contra eos petitiones , & querelas nomine communis , necnon nomine cuiuslibet privati conqueri , vel petitionem dare volentis in hujusmodi omnibus , & singulis viriliter persistendo , usque ad summam obtentam , & usque ad finem cum omnibus , & singulis opportunis utilibus , vel necessariis in prædictis , & circa prædicta , & quolibet prædictorum . In quibus omnibus , et singulis , et independentibus , evenientibus , et emergentibus ab eodem , seu ab eisdem habeat dictus Scindicus , et habere intelligatur , et reputetur plena , libera , et generalia mandata , cum ple,

pleræ libera , & generali administratione vigore præsentis ordinamenti eo ipso , quod dicto modo per concilium generale electus , siue deputatus extiterit ; & semper sit , & ipso facto reputetur legitimæ ordinationis , & constitutus , & legitime promississe de judicio Sixti , & judicato solvendo , ac plene , & legitime relevatus ab one re satisfandi . Comune autem , & alii quorum nomine agendo , vel defendendo dictis modis , vel aliquo eorum duxerit , ipso jure , & facto reputetur promississe , & etiam teneatur firma , & rata habere , & tenere omnia , & singula supradicta , & fidejussisse , & intelligatur pro eo in omnem causam , & eventum . Quæ omnia , & singula semper expediantur expensis Comunis , & bona Comunis ipso facto , & jure præsumantur , & sint hypothecata , & obligata ad ratæ obligationem , & observationem omnium prædictorum . Excipimus autem à potestate Scindici per omnia , & in omnibus prædictis quæcumque sibi prohiberi contigerit per concilium generale dicti communis . At in non prohibitis exequendis volumus sui loco dictus Scindicus possit unum , vel plures substituere , & ab eo substituti semper plene potestate fungantur , prout ipse in his , quæ sibi per substitutionem commissa , vel mandata fuerint , & per hoc ordinamentum , vel mandatum volumus , quod derogetur , vel præjudicetur alteri , seu alteris Scindico , vel Scindicis communis constituto , vel constitutis , vel substituendis in Potestate , vel substituendo . Nec quod melior sit inter eos conditio occupantis immo quilibet insolidum possit agere , facere , prosequi , & finire in totum , vel in partem . Cancellarius autem communis sine alio salario teneatur , & debeat in speciali , vel generali libro sui officii ad petitionem talis Scindici generalis scribere , & publicare illa , de quibus fuerit per eum , vel ejus substitutum rogatus in Terra Montis Sancti super spectantibus ad officium dicti Scindici . Salarium vero dicti Scindici semper remaneat , & consistat in providentia , & deliberatione concilii generalis , vel saltim Confalonerii , & Priorum una cum deliberatione concilii creditus .

P R I M U S.

47  
& in occasu Solis , vel ante si expedierit pulsetur iterate . In quo se-  
cundo sono cuncti debeant redivisse ad ipsam Terram poena decem  
solid. pro qualibet . Tempore vero incursum hostium , vel depre-  
dationis , quæ fieret in nostro territorio , & alterius similis casus , pul-  
setur dicta campana ad sturmum , & ipsa campana pulsante statim  
omnes manentes de foris teneantur , & debeant reverti ad Terram  
Montis Sancti poena decem solid. pro quolibet , & qualibet vice .

Quod pulsetur Campana Palatii pro custodibus ,  
& claveriis portarum .

C A P. XXXIII.

C Ampana Palatii Comunis tempore suspecti , vel guerræ pulse-  
tur de sero competenti hora tribus vicibus , quarum in pri-  
ma claverii portarum , & grapporum debeant portas , & grappos  
claudere , & clavare poena xx. solid. denar. pro quolibet , et plu-  
ris , et minoris arbitrio officialis pro qualitate temporis , et perso-  
næ . In secunda pulsatione custodes armati veniant coram officiali ad  
requisitionem pro Posta recipienda sub poena contenta supra in Sta-  
tuto de officio Cancellarii . In tertia autem pulsatione ipli custodes  
omnes , et singuli debeant ivisse ad Postas eis datas sub poena in di-  
cto Statuto contenta , vel etiam ante sicut provisum , vel injun-  
ctum extiterit .

Quos , datis Postis , Turrerius statim vocet .

C A P. XXXIV.

D Atis Postis per officiale , et pulsata campana , cuius sono  
custodes ad postas ivisse , tunc statim Turrerius , sive custos  
Turris debeat incipere ad vocandum , et de cœtero spissum vocare  
ad omnem petitionem officialis , vel Capitanei custodum Plateæ .  
Et nihilominus semper in redditu cujuslibet cerchæ revertentis ad Pla-  
team , et tam diligenter vocet , quod à circumstantibus postarum  
custodibus verisimiliter audiatur , et non respondenti in secunda vo-  
catione , statim per officiale , vel Capitaneum faciat plumbari , si-  
ve punctari puniendum . Item moneat postas respondentes , quod  
alias

L I B E R

Qui omnes teneantur personaliter venire ad custodiam .

C A P. XXIX.

T Empore suspicionis , & guerræ quilibet habitator Montis San-  
cti teneatur personaliter ad custodiam venire de die , vel de  
nocte , prout ei per officiale fuerit deputata , & scambium loco  
sui mittere non possit , exceptis mulieribus , senibus sexaginta anno-  
rum , vel ultra , infirmis , minoribus duodecim annorum , & absen-  
tibus non per fraudem , & similibus personis honorandis , vel excusan-  
dis juxta discretionem officialis .

Quod quilibet Custos vadat ad suam postam .

C A P. XXX.

H Omines ad aliquam custodiæ postam deputati vadant ad illam ,  
& non ad alium locum poena decem solidos denariorum pro  
quolibet , & qualibet vice , & tempore guerræ , vel suspicionis du-  
plum puniatur .

Quilibet habitans justa viam publicam faciat  
lumen tempore rumoris .

C A P. XXXI.

Q uælibet persona juxta viam publicam habitans in Monte San-  
cto tempore rumoris de nocte teneatur facere lumen extra do-  
mum , seu balchionem in via publica , poena decem solid. denar.

Quod pulsetur campana grossa tempore suspecto ,  
ut extrinseci revertantur .

C A P. XXXII.

S Uspectionis tempore pulsetur Campana grossa Comunis existens  
in Turri Comunis quasi in hora medii Vesperis ad extensam  
pro morantibus extra , ut se parent reverti ad Terram Montis Sancti ,  
& in

## L I B E R'

<sup>48</sup> alias eis vicinas vocent, et maxime cum custodem, qui non responderit; contrafaciens autem Turrerius non observando diligenter singula supradicta, et alia, quæ debet puniatur vice qualibet in xii. den. et ultra arbitrio officialis juxta qualitatem temporis, et personæ, et formam dicti Statuti supra de officio Cancellarii etc.

*Qui Custodes non discedant de postis.*

## C A P. XXXV.

**A** Postis eorum Custodes non recedant de mane, vel de sero ante sonum campanæ ad ipsum actum deputatæ, vel depudantæ, nisi de licentia officialis, vel causa comedendi bis in die ad vicennam poena v. solid. denar. pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice, et plus, vel minus puniantur arbitrio officialis, pro qualitate tanti temporis, et personæ, et juxta formam dicti Statuti de officio Cancellarii.

*Qui Custodes tempestive vadant ad postas.*

## C A P. XXXVI.

**C** ustodes ad eorum postas ire debeant tempestive summo mane ante recessum Custodum nocturnorum, et ante aperturam januæ, et de sero ad supradictum sonum deputatum vadant Custodes nocturni poena v. solid. denar. pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice, et ultra, vel citra dictis modis, et arbitrio etc.

*De antiquis proditoribus extirpandis.*

## C A P. XXXVII.

**Q** uia exterminari debet generatio proditorum, quorum pravitas nefandissimæ Judæ, ac Caini vestigia sequitur quorum ablurda recordatio malos comprimit terrore pœnarum, et bonos ad bonum gloria virtutis, et præmiorum invitat. Ideo maledictæ memoræ olim Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nostræ Terræ proditores filii quondam Maris cum sequacibus olim, et cum descendantibus eorum-

rumdem contra Montis Sancti perpetuo exulent, et BEATÆ MARIAE MAGDALENÆ meritis, et protectione, atque BEATI STEPHANI Prothomartyris fine perpetuo confundantur, nec in Terra Montis Sancti, vel ejus territorio, et districtu ingredi, vel morari aliquatenus permittatur, et si eorum aliquis inveniretur ibidem posse à quibuslibet capi, et in fortiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et communis Montis Sancti deduci, Rectorum, et officialium arbitrio puniendos.

*De electione, & officio extimatorum communis.*

## C A P. XXXVIII.

**P**er Concilium generale, de quolibet quarterio nostræ Terræ eligatur unus bonus homo, ita quod habeantur quatuor extimators ad extimandum tenutas datas, et dandas per regimen Montis Sancti, quorum officium duret per annum, et de cœtero similiter elegantur, qui præstito juramento corporali ab initio, et nihilominus qualibet vice de novo præstando possint, et debeant, omnes, et singulas tenutas de mandato Judicis, et ad petitionem partis, extimare bona fide, sine fraude, prout valere crediderint tempore, quo extimationem faciant, et rector talem extimationem sequi teneatur in adjudicando, et exequutioni mandando, ut postulat ordo juris. Et quod inde actum fuerit plenam obtineat roboris firmitatem. Salarium corundem de rebus infra Terram positis, et extimatis à quantitate decem lib. supra sit de duobus Anconitanis solvendum per actorem expensum rei, ab inde infra sit unus Anconitanus, videlicet inter omnes. De rebus vero extrinsecis in nostro territorio positis sit salarium inter omnes de quatuor den. per libram extimationis, quam fecerint etc.

*Qualiter novi Castellani recipiantur.*

## C A P. XXXIX.

**A**d recipiendum novos Castellanos annuatim per concilium generale elegantur quatuor Scindici, unus videlicet per quartarium, quorum quilibet sit etatis non minoris xxx. annorum, et sit apretiatus in catastro communis c. libr. vel ultra. Qui vel saltim duo

E

ex

ex eis possint, et debeant novos Castellanos nostræ Terræ nomine communis recipere, et eis promittere, et dare exemptionem, et immunitatem obsequiorum personalium, et mistorum, ac etiam realium quando placuerit concilio generali per tempus videlicet decem annorum, et die qua recepti fuerint, quæ receptio, et dies, atque promissio, et fidejussio ad cautelam scribatur, et registretur in registro comunis. Ipsi autem Scindici non aliter recipient eos quam si primo singulariter promiserint tales recipiendi cum rogatione Notarii statim venire ad habitandum, et deinceps cum eorum familia continuo morari in Terra Montis Sancti, nec ab habitatione discedere, et loco, et tempore debitiss, de eorum bonis acquisitis, et acquirendis solvere, et contribuere collectas, onera, ac etiam alias factiones etiam personales, et mistas sive solutiones cum angariis, et per angariis completo dicto exemptionis tempore quæmadmodum cœteri Castellani facere, solvere, et continue substinere. De quibus etiam omnibus, et singulis solemnem stipulationem, fidejussionem cum pœna non minori c. lib. Et cum aliis clausulis, et cautelis pro comuni ad prædicta necessariis, & opportunis. Ne autem recipient quaslibet inutiles, vel damnosas personas, dictante proverbio, quod melius est solum exisse, quam male sociatus, excipimus quod in novum Castellatum recipi non possit aliquis in fraudem communis petens se recipi, prout reputamus esse omnem qui ibi continuam habitationem jam antea fecerit per tempus quinque annorum. Nec non, et pactuales famulos Castellanorum, qui apud patronos in dicta Terra moram traxerint continue, aut interpellatim per totidem tempus videlicet quinque annorum. Siquidem in proximis duobus casibus prædicti exceptuati per se, vel interpositam personam jam emerint, seu alio titulo adepti fuerint in dicta Terra, vel ejus districtu bona immobilia apretiata in catastro communis à xl. sol. supra, et similes personas de fraude suspectas de quibus, et super quibus dicti Scindici possint, et teneantur cum plena cautela discutere, et cum fraude per aliquod indicium suspicaverint referant in concilio generali, vel saltim credentiæ, et ejus deliberatio in dictis casibus, et in aliis suspectis sequatur. Multoque magis exceptuamus homines, et personas malæ conditionis, et famæ. Item exbanditos Sanctæ Romanæ Ecclesie, et ejus rebelles, necnon exbanditos nostri communis. Item exitios vicinarum terrarum, et comitatuum, quorum territoria terræ nostræ, et confinia sunt continua, et continua-

ta. Præterea de civilibus, atque comitativis Civitatum Provinciæ Marchiæ declaramus exceptuando, ne ultra v. pro quolibet anno etiam noviter venientes in Castellanos nostros recipi possent, quorum exceptuorum, vel alicujus eorum receptio secus facta cum omnibus inde secutis, et secuturis non valeat ipso jure. Nec etiam receptio aliorum facta præter formam, vel solemnitatem prædictam valeat ullo modo. Et Scindici contrafacentes pro quolibet ipsorum, et quilibet vice in libr. c. denar. puniatur, et hoc Statutum sit truncum, præcsum, et immutabile, lege, vel deliberatione non obstantibus.

*De renovatione fumantium, & Capitaneorum.*

**A**nnuatim de Mense Septembri circa principium infra octo dies per Confalonerium, et Priors elegantur duodecim boni homines ad tres per quarterum possessores immobilium nostræ Terræ, quorum trium unus sit Notarius ad renovandum, et ordinandum, et in speciali membranarum libro communis scribendum omnes, et singulos fumantes quarteriorum Montis Sancti. Qui electi statim præstitis juramentis, ut decet per eorum quarteria ire singuli teneantur ad exquirendum, et diligenter ut dictum est scribendum infra quintam diem singulos Castellanos, sive habitatores, et fumum facientes, quorumlibet quarteriorū, ita quod nullus habitator per se, vel principaliter, sive solus, sive cum familia in aliqua domo habitans sit omissus, vel remaneat indiscussus. Eodem autem sic scriptos in dicto termino cum eorum libris exibeant, et dimittant Confalonero, et Prioribus populi, et demum cum ipsis Confalonero, et Prioribus in domo eorum officii simul convenientia una cum aliis duobus per quarterium ad hæc vocandis ubi prædictos fumantes, ut supra scriptos per ordinem, et singulariter per aliquem ex dictis Notariis legi faciant, et si quos deficere, vel omissos invenerint, statim inter alios sui quarterii addi faciant, et suppleri semper per eos, ut decet, præstitis juramentis in primis. Postmodum omnes dictos firmantes singulariorum quarteriorum rubricatos faciant simul conscribi per manum alicujus legalis Notarii in uno libro cartarum pecudinarum, ac etiam publicari cum signo, testibus, tempore

porc, et aliis opportunis, qui liber poenes Confalonerium, et Priores diligenter, et caute servetur, et semper per inventarium assignetur. Salarium vero cuiuslibet dictorum Notariorum pro praedictis sit tantum de sex solid. denar., et non ultra. Dicti vero duodecim homines nihil accipere possint pro mercede; capitaniæ, autem praedictorum fumantium, & hominum sicut, & ordinentur à Confalonerio, & Prioribus dicto mense, vel quamcuius potuerint per manum Cancellarii videlicet scribendo, & proportionando xx. nomina fumantium pro qualibet cartutia pecudina, quorum unum faciant, & declarant in capitale suæ societatis. Ad cujus capitalis requisitionem, sive mandato officialium, sive ex deliberatione Concilii singuli de ipsa cartutia socii teneantur adesse obsequio, sive servitio communis per capitem, injuncta poena solid. v. denar. pro qualibet. Capitalis vero nunquam ex suo capite, sive mandato, vel deliberatione praedictis audeat socios praedictos ad praedicta requiri, vel mandare, poena decem solid. denar. pro qualibet vice. Quorum capitalium officium duret per annum, quo elapso alii elegantur, & cuiilibet ipsorum assignetur sua cartutia praedicta prius registrata per Cancellarium in aliquo libro sui officii etc.

*Qualiter fumantes ordinentur, & censemantur.*

C A P. XXXXI.

**N**onnunquam paupertate, etate, sexu debilitate, & diversorum unitate in contribuendo nostri communis onera fumantiæ, scandala, & contentiones exoriri comperimus eo præsertim, quod ex munere, citra causâ, solæ aſpectionis, vel emulationis gratia, nonnulli, nisi sunt, nonnullos eximere, vel etiam ultra debitum graviter onerare. Quo circa ſancimus, ut mense Septembris annuatim facta renovatione fumantium juxta praecedentis ordinamenti tenorem fiat per concilium generale nova electio de xii. bonis hominibus, trinis per quarterum ad censendum, & ordinandum qualitates, & modos nostrorum fumantium in subſtinen- do onera fumantiæ ſecundum ſui qualitatem toto anno ex tunc futuro. Qui duodecim ſint de prudentioribus, & expertis, & idoneis popularibus noſtræ Terræ, & eorum praestitis juramentis expref-

expressim, ut decet juxta ritum, & formam hujus ordinamenti simul convenientibus in domo officii Prioratus, vel in majori ſala Palatii ibi diligenter, & per ordinem quarteriorum lectis, & provisis nominibus omnium Castellanorum, seu fumantium libri fumantiæ communis singulariter, & distincte decernant, disponant, & declarant fumantes debentes eo anno esse, & respondere in one- re fumantiæ pro toto fumante, vel pro medio, vel pro quarto, prout decreverint ex qualitate possibilis ipſorum fumantium dum tamen omnem Castellanum ibi habitatorem scriptum in di- cto libro, & possidentem in Terra Montis Sancti, vel ejus distri- ctu bona valentia lib. L. denar., vel ultra, ordinent, censemant, atque ponent, & declarant in omnibus, & per omnia pro uno toto fumante, & non pro minori, vel pro aliqualiter diminuto. Personam vero cuius bona valerent minus ordinare, censere, & declarare possit pro medio fumante videlicet ubi ejus bona vale- rent a xxv. libr. supra, ut eſſet persona masculini ſexus, & fa- na; foeminas vero, vel non fanas personas poſſidentes valentia à xxv. libr. ſupra, ſeu infra, & ſimiliter miserabiles ratione etatis, vel alia, necnon alias personas, quarum bona valerent xxv. lib. vel minus poſſint etiam pro quarto fumante ſingulas declarare, censere, & ordinare juxta facultatem, & qualitatem personarum, dum tamen ipſi aſpetatores una cum Confalonerio, & Prioribus hæc omnia, & ſingula ſemper faciant, & aſpectent ſicuti, & inquantum inter eos per majorem partem ipſorum approbatum, & obtentum extiterit ad buſſulas, & pallottas, & dummodo ta- lis diminutio fumantis non excusat, nec proſit, quo ad alia one- ra realia, personalia, vel mixta, ſed ſolum in ſolutione dativa- rum, & collectarum fumantiæ, ſive per fumantem. In aliis au- tem alia ordinamenta ſerventur. Volumus tamen quod in ſupra- dictis caſibus cenzuræ, ſive ordinationes fumantium pro toto me- dio, ſive quarto, non obſtantibus praedictis regulis, & metis, ſi quando ſpecialiter, & expreſſe ſuper aliquo caſuum praedictorum alicuius certæ personæ aliud, vel aliter gratioſe provideretur, vel deliberaretur rite per noſtrum concilium generale, illud potius obſervetur, & fiat. Malitiis autem obvianteſ fraudolenter alienan- tum, vel appodiantium res eorum, declaramus quod ſi que, quocumque titulo, alienatio, transatio, obligatio, vel quaꝝ viſ ſuppoſitio facta fuerit per aliquam personam de bonis, vel re- bus.

bus, quæ habere, vel possidere consuevit, postquam alienationem, vel suppositionem ipse alienator, vel similis persona visus, sive visa fuerit, inde percipere aliquem fructum per se, vel interpositam personam quoquo modo, vel ipsa laborare, aut aliquatenus intendere, vel expensam inde facere, vel similem actum declarandum arbitrio, & discretione regiminis, vel Confalonierii, & Priorum ex tunc ipso facto, & jure ad omnia fumantia onera teneatur pro toto fumante, tam præterita, quam præsentia, & futura, non obstante, quod tunc dictam rem alienatam aliquo dictorum modorum non videretur habere, vel tenere. Et alienatio, & simul actus quantum ad hæc sit, & præsumatur nullius valoris, & etiam non obstante, quod idem alienator postmodum eamdem rem conduxit, vel quoquo modo reperit. Et ad probationem dictorum actuum, & similium de fraude suspectorum sufficiat publica vox de fama probata saltim per duos testes examinandos per ipsos superstantes, & aselectores, vel aliquo, cui comiserint etiam in absentia partis, & judicij solemnitate, & substantia prætermis. Ex qua probatione talis fraudem committens, possit etiam criminaliter puniri per regimen usque in xxv. lib. den. Item attendant jam dicti aselectores, sive superstantes divisim, & per se in fumantia ponere quamlibet personam divisim, & per se habentem, vel possidentem quodcumque bonum extimatum in catastro communis, non obstante quod simul cum alio habitaret. Item omnem divisim, & per se habitantem. Et etiam omnem personam, quæ præterito tempore divisim, & per se habitaverit ipse, vel præcessor ejus, non obstante quod sua bona simul cum alienis sint, vel federint in apretio, & non obstante quod postmodum ad cohabitationem simul cum alio esset, vel redierit. Item quamlibet personam habentem in Monte Sancto, vel ejus districtu bona valentia decem libr., vel ultra, similiter divisim, & per se ponant in fumantia, dum tamen nemo plusquam semel sit in fumantia. Excipimus à supradictis regulis, & modis divisim ponendi, & censendi fumantes has personas videlicet patrem, & filium, sive filiam, necnon avum paternum, & nepotem descendenter, & matrem viduam, & filium, sive filiam. Item fratres carniales. Item nepotes ex fratre carnali cum patruo, sororem carnalem non nuptam cum fratre carnali. Item pupilos, & pupillas cum tutori, sive tutoribus. In quibus casibus, & personis

sonis aprætium per se positum, vel repertum in catastro communis, vel valentia bonorum particularium, seu divisim possessorem alicujus eorum, divisio habitationis, vel bonorum, quæ inter prædictas personas ad insimul jam facta fuerit, non possit, ac debat impedire, quin simul pro uno fumante conjunctim reputentur simul ad invicem habitando in eadem familia, & ad eundem ignem tempore oneris fumantia impositi, sive imponendi idest dum ipsum onus in comuni deliberatur, vir etiam cum uxore, vel matre vidua, & e converso simul habitando, non obstante quod diversim haberent bona semper modo simili pro uno tantum fumante reputetur. Sic vir cum uxore etiam divisim habitando pro uno tantum fumante habeatur. Aliæ vero personæ, & causæ ex quibus contentio hujusmodi exoriri solet, nulla tenus cuiquam suffragetur, immo non obstantibus ipsis, fumantia onera per quilibet personam, ut prædictum est, integraliter explicitur præter pactuales famulos apud alios servientes, & commorantes videlicet apud patrones, qui ad mere personalia onera, & obsequia nullatenus tenentur. Et præter habentes exemptionem à comuni per formam alicujus ordinamenti nostri communis, vel habentis aliquam gratiosam, specialem, & expressam provisionem super aliquo prædictorum casuum, ex solemani deliberatione nostri concilii generalis. Qui singuli eorum privilegio, & gratia libere gaudeant, nec in plus ultra, nec aliter onerari, vel gravari possint toto eo anno, vel tempore in concessione deducto. Quidquid autem dictis modis, & regulis, seu juxta dictam formam, actum, factum, censitum, & ordinatum fuerit per dictos aselectores, sive superstantes, vel maiorem partem ipsorum dicto modo obtenta deliberatione ad bussulas, & pallottas in prædictis circa prædicta, & quolibet prædictorum inrefragabilius valeat, & sit firmum, & immutabile usque per totum annum continue sequenti, donec sequenti mense Septembbris similis ordinatio fumantium fuerit de novo facta, & hoc ordinamentum sit præcisum, & perpetuum ita quod suspensio, cassatio, & derogatio proponi, vel deliberari non possit; secus autem facta non valeat ullo modo.

*De Claverii Portarum.*

C A P. XLII.

**P**ortarum Claverii per concilium generale ad scrutinium eligantur, qui electi, praestitis per eos corporalibus juramentis, atque fidejussoribus duobus idoneis habentibus bona extimata in catastro comunis à centum libr. supra pro quolibet ipsorum. Claves portarum recipient de manibus Confalonerii populi in concilio generali, & ipsas diligenter, & legaliter teneant, & custodiant, & cum eis portas claudant tempore suspecto saltim ad primum sonum campanæ juxta formam Statuti positi sub capitulo, quod pulsatur campana Palatii &c. Aliis temporibus juxta modum eis datum, vel tandem per Confalonerium, & Priors populi, vel per aliquod concilium nostri communis. Et in aperiendo simili modo se habeant. Et de nocte nullam portam audeant aperire tempore suspecto sine expressa licentia Confalonerii, & Priorum, & aliter prout per generale concilium extiterit ordinatum; pena pro quolibet claverio contrafaciente L. libr. denar. qualibet vice, & majori, vel minori pena, arbitrio, & providentia Potestatis, vel Vicarii, atque Confalonerii, & Priorum pro qualitate personarum, facti, & temporis. Quorum officium duret vice qualibet per quatuor menses, & successive secuturis temporibus similiter elegantur, & agant. Nec eadem persona eodem anno plusquam semel in dicto officio esse possit. Et nullus nostrorum, vel nostri comunis officialium possit aliquem claverium cogere, & aliter ad aperiendum, vel clavendum portas, quam modis superius constitutis, pena L. lib. den. de suo salario pro quilibet vice. Et si quem processum, vel actum formaverit contra aliquem claverium vere, vel ficte occasione praedicta non valeat ipso jure, de qua re stetur dicto, & declarationi Confalonerii, & Priorum populi &c.

De

*De Tuitubatoribus, & Bajulis, & eorum salario, & officio.*

C A P. XLIII.

**T**utubatores Comunis ad officium bandimenti unus, vel plures ad voluntatem concilii generalis, vel saltim credentiæ conductantur per Confalonerium, & Priors cum salario non majori xxxvi. libr. denar. pro quolibet, expensis communis solvendo per Massarium de mense in mensam, & cum una tunica, & uno caputeo prætii pro quolibet brachio non minoris xxx. solid. denar. habendis de partita omni anno de mense Maii ante festum Sancti Angeli, vel saltim Sancti Gerii. Tales autem banditores teneantur bandire, & banda quæcumque facere cum eorum tubiis ubicumque moris est semper tam cum consensu, & nomine Potestatis tantum, quod ipse solus committit; & nomine ipsius Confalonerii, & Priorum quando ipsi Priors committunt. Et pulsare teneatur, tam de die, quam de nocte de mandato, & commissione Potestatis, vel Vicarii, atque Confalonerii, & Priorum, vel alterius officialis ex debito ejus officii, ut supra dictum est, pena pro quilibet Tubatore contrafaciente, & qualibet vice xl. solid. denar. quorum bandimenta licite, & rite facta non contra formam alicujus nostri ordinamenti valeant, & serventur ad plenum; possint etiam citationes facere in civilibus maxime causis, quæmadmodum, & Bajuli, forma Statutorum semper servata, & in ipsis civilibus causis bandimenta facere teneantur, & possint, visa commissione Judicis ad petitionem partis sine voluntate, & absque nomine Confalonerii, & Priorum, suprascripta forma non obstante, & alia in causis occurrentia, ut Bajuli, facere possint, & executioni mandare nullam aliam solutionem recipiendo pro prædictis, nisi quam Bajuli recipere possunt præter salarium. Item Confalonerio, & Prioribus populi per omnia serviant, & obedient, eos associando, & alia opportuna faciendo ad voluntatem supradictorum Confaloneri, & Priorum de die, vel de nocte sine alia solutione præter dictum salarium, & præter expensas bibendi, & comedendi familiariter cum eisdem. Bajuli, sive Nuncii comunis per eosdem elegantur saltim quatuor, videlicet duo ad servitium curiæ Potestatis unus ad servitium Cancellarii, & aliis ad servitium officialis damnorum. Qui Bajuli electi moxque juraverint reputentur,

&amp; sint

& sint veri Nuncii dictorum officialium, & communis, & curiæ cujuslibet ipsorum, necnon dictorum Confalonerii, & Priorum per omnia, & singula eis commissa, & committenda super factis communis, vel pro vigore eorum officii, & cujuslibet ipsorum exercendi, tam citationes, requisitiones, & notificationes, quam præcepta, & mandata, & eadem referre, necnon ad petitionem specialem personarum secundum formam Statuti positi supra sub capitulo de in jus vocando. Quæ omnia per eos facta, & fienda valeant pleno jure, & etiam quæ fierent per eosdem ex forma cujuscumque ordinamenti, vel Statuti nostri communis. Salarium cujuslibet ipsorum Bajulorum possit annuatim esse de xxx. lib. den. expensis communis per manum Massarii solvendarum de mense in mensem pro rata de pecuniis condemnationis, vel poenarum exactarum per officium illius officialis ad quod quisque Bajulus fuerit specialiter electus, & non de aliis pecuniis, nec ultra dictum salarium, nisi per deliberationem concilii generalis præterquam quod tempore eorum officii sint immunes à personalibus, & fumantiæ oneribus, & non à realibus, & præter unam tunicam, & unum caputem valoris centum solid. denar. pro quolibet ipsorum ex dicto mense Maii, vel alio ad voluntatem Confalonerii, & Priorum. Quæ omnia Massarius observare teneatur pena decem lib. den. Bajuli ultra dicta eorum salario non aliter solutiones percipient in singulis casibus, quam infrascriptis modis, videlicet pro citatione in platea unum den. ad domum vero, vel hostium duos denar. de citatione per tubam, & bandimentum pignoris, vel tenutæ sex den. Item de quolibet precepto, & notificatione in platea unum denar. extra plateam, & infra terram duos denar. De aceptione, assignatione, & datione cujuslibet tenutæ infra terram vi. denar. extra terram pro quolibet miliare xii. denar. Item de qualibet citatione ad portum, vel alibi in nostro districtu similiter xii. den. per miliare. Item de requisitione, prohibitione, vel præceptione, & simili actu, quæ vel qui fieret ad petitionem alicujus privati extra terram in districtu infra primam senatam vi. dener. extra, xii. denar. & sic de singulis. Item de aceptione pignoris infra terram pro causa civili quantitatis, vel rei xx. solid. & infra duos denar. ab inde supra usque ad decem libr. inclusive iiii. denar. ab inde supra vi. denar. Extra terram vero in quolibet proxime dictorum casuum accipient duplum tam pena contrafaacentis pro quolibet dictorum casuum, & qualibet vice v. solid.

solid. denar. Et simili pena puniatur Bajulus renuens, vel recusans citare, vel alium actum sui officii facere ad petitionem privati, & maxime si facere omissiverit in termino commissionis expresso, vel saltim infra sequentem diem post commissionem non continentem expressum tempus exequutionis. Nullus quoque officialium, vel familiarium curiæ Potestatis possit, vel debeat alicui bajulo propria, vel privata facta non expectantia ad officium, & negocium communis committere, vel mandare, & maxime fienda, vel explicanda de extra portas nostræ Terræ in districtu nostro, vel alibi aliquo colore quæsito pena contrafaacentis xxv. libr. den. de suo salario. Item nec Cancellarius, nec officialis damnorum extra nostrum districtum possit, vel audeat aliquem Bajulum communis pro aliquo alicujus eorum facto, vel negocio, vel etiam pro facto officii, vel communis sine expressa licentia Confalonerii, & Priorum nostri populi sub pena proxime dicta. Et nullus Bajulorum eis, vel alicui eorum in aliquo sit prohibitorum casuum obediatur, aut vadat, vel faciat pena xx. solid. denar. qualibet vice, & ejus vinculo juramenti. Volumus autem, quod dictorum Bajulorum officii Potestatis saltim unus post tertias de die in Palatio, vel platea sit præsens. Et de mane qualibet ad banchum juris, nisi dum accesserint transmissi per officiale ad aliquem actum officii, & nihilominus ad sonum campanæ consuetum comparere teneantur sub dicta pena. Item addendo declaramus, ut bajulorum electio sit servata dignitate personarum, itaque nemo litteratus, nec artifex sutor, cerdo, beccarius, faber, carpentarius, murator, spertiarius, mercarius, vel similis excepta agricultura. Nec aliud aliis habitator Montis Sancti cuius bona ibi valerent à xxv. libr. supra videlicet immobilia. Item nec aliquis infirmus gravi morbo, vel senex L. annorum, vel ultra possint, vel debeant eligi, vel esse ad officium bajulatus, nisi sponte voluerint, dum tamen dicti artifices continue artem exerceant. Alii autem electi jurare, & exercere bajulatus officium teneantur, & compellantur &c.

*De pignoribus accipiendis, conservandis, & restituendis.*

C A P. XLIII.

**N**on passim ex omnibus pignora tolli permittimus, nam nec pannos lecti, nec coppos domus, nec hostia, vel clausima domorum, quæ habitarentur. Item nec aratrum, nec cultrinam, sive perticariam, nec jugum, vel gomerias, cultra, vel catenas boum aratorias, nec similia sectilia, vel ferramenta ad arandum parata. Item nec vestimenta dominarum, nec libros ubi alia pignora invenirentur, in his duobus casibus per aliquem bajulum, cultorem, vel officialem contra aliquam personam pignorando tolli concedimus. Reliqua vero universa pignora ex justa, & evidenti causa tolli permittimus non per aliam manum, quam Nuncii Communis jurati, ex speciali officialis commissione; contrafaciens in xx. solid. vice qualibet puniatur. Nulla vero pignoratio, vel pignoris acceptio fieri possit valoris ultra duplum quantitatis rei, vel pœnæ pro qua fieret, vel pro qua pignus acciperetur pœna officialis contrafacientis decem libr. denar. de suo salario, & Bajuli viginti solid. denariorum qualibet vice. Et quoties quærela fieret contra aliquem bajulum, vel exactorem de aliquo pignore, cuius acceptio negarentur super credaturæ Sacramento quærelantis, usque in quantitatem valoris pignoris xl. solid. denar. Et cum dicto unius testis, usque in quantitatem C. solid. denar. Conservatio autem pignorum sic fiat, & qualibet die Dominica qualibet bajulus, & exactior possit, & debeat comparere coram Massario, & Cancellario communis, & eis per inventarium scribendum manu Notarii Massarii assignare singula pignora accepta per totam septimam expressis, videlicet nominibus eorum, quibus accepta sunt, & causam quare, & qua die, & cuius commissione pro quanta quantitate sint, & quæ pignora. Et Massarius, atque Cancellarius, & Notarius prædicti hoc facere teneantur pœna C. solid. denar. pro qualibet ipsorum. Qui Massarius prædicta pignora reponere, & conservare teneatur sicut scripta fuerit in domo ad hoc per comune deputata, vel deputa tanda. Nemo autem audeat aliquem pignus recipere, vel tollere, aut pati, quod reacciatur, nisi expresso mandato officialis cuius auctoritate fuerit acceptum, & nisi restitutio primo scribatur per dictum Notarium saltim cum uno teste ultra Cancellarium, vel ejus

Locum-

Locumtenentem. Quæ forma conservationis, & restitutionis locum non habeat in pignoribus acceptis pro tenuta, vel exequitione aliquius civilis causæ ad petitionem partis, sed tunc potius servetur forma Statuti positi infra in secundo libro sub capitulo de modo procedendi contra contumaces, & de exequitione instrumentorum.

*De exactoribus, & exactionibus dativarum.*

C A P. XLV.

**T**empore alicujus collectæ, vel dativæ exigendæ in nostro comuni per libram fumantium, vel alium quemlibet modum Confalonerius, & Priors, qui pro tempore erunt, possint, & debent eligere, & deputare cultores, seu exactores unum, vel plures ad exigendum ipsam collectam, seu collectas, prout viderint expedire. Qui exactores post electionem eorum officium exactionis siendæ debent facere diligenter, & exequitioni mandare bona fide nihil defraudando comuni, nec specialibus personis, & pecuniam per eos exigendam non convertere in proprium, & specialem ulum eorum, vel alterius personæ, sed potius statim in totum in partem restituere Massario communis, nulli alteri dare, vel solvere. Super quibus præstent idoneos fidejussores sive exigant, & omnem solutionem, quæ fieret statim scribant, & de ipsa solutione dare apodissam eorum manu scriptam cujuslibet solventis in totum, vel in partem cui apodisse detur plena fides etiam testibus, & omni alio adminiculo, contrafaciens exactor non observando, quæ dicta sunt qualibet vice in C. solid. puniatur. Teneatur autem in fine exactionis eorum, & nihilominus ad omnem petitionem communis, sive Confalonerii, & Priorum de pecuniis exactis, & exactione, quam fecerint statim reddere rationem, & omnis eorum ratio calculata per Rationatores reducatur in scriptis per manum alicujus ex Rationatoribus in registro communis in præsentia Confalonerii, & Priorum, & Cultoris, qui exigerit, quæ quidem scriptura sufficiat ad plenam probationem, ac si publica, & sollemnitas foret, & quicquid ex ea apparebit debere restitui per aliquem exactorem in comuni, statim cogatur realiter, & personaliter ad restituendum per quemcumque officialem nostri communis veritate calculi semper servata. Et insuper fidejussores, & quilibet ipsorum ex eadem scriptura cogi possit, & debeat ad prædicta

F

dicta simul cum eis, vel ante, vel post ad voluntatem Confalone-  
rii, & Priorum, vel Rationatoribus, juribus contrariis non obstanti-  
bus; excusari tamen possint cultores de non exactis propter impossibili-  
tatem exigendi, vel non reperta bona, vel non repertam bonam  
personam solvere debeant, de qua exactione, & impossibilitate ste-  
tur arbitrio, & deliberationi Confalonei, & Priorum, atque Ra-  
tionatorum, vel majoribus partibus eorum sub corporalibus juramen-  
tis. Quisquis autem exactor fraudolenter, vel culpabiliter, vel pas-  
sus fuerit in exactione plus, minus, vel aliter exigendo, quam de-  
buerit, vel minus restituendo quocumque modo puniatur vice qua-  
libet pro tali fraude, vel culpa in decem libr. denar. & ultra, arbi-  
trio Confalonei, & Priorum, & nihilominus indebita ablatum,  
vel debitum omissum restituat duplicatum. Salarium cultorum es-  
se volumus in prudentia Confalonei, & Priorum, necnon Ratio-  
natorum communis, vel majoris partis eorum, dum tamen infrascri-  
ptas metas non excedant videlicet de collecta unius denar. per libr.  
vel minus salarium non excedat pro rata collectæ xl. solid. den. pro  
quolibet quarterio ab inde supra cujuscumque quantitatis per libram  
pro quolibet quarterio tres libras denar. Collectarnm vero sumantia  
pro quolibet quarterio, & qualibet collecta xl. sol. den. nisi quando  
collecta esset modicæ quantitatis, ut puta sicut consuevit colligi, si-  
ve exigi per capitales sine salario, vel aliter pro exiguo salario respe-  
ctu modicæ quantitatis exigendæ. Insuper nihilominus, nec Pote-  
stas, vel aliis officialis sine præsentia cultoris possit aliquam exequi-  
tionem, vel exactiōnem alicujus collectæ, vel dativæ facere, vel  
alteri quam cultori per modum depositi, vel alium dari facere, nisi  
tantum exactori communis in Palatio, vel alio loco, vel apud aliam  
personam portare, vel deponi facere, quam exactoris, & de volun-  
tate ipsius. Contrafaciens Potestas, vel officialis pro quolibet prædi-  
ctorum, & qualibet vice in lib. xxv. denar. puniatur de suo salario.  
Item nullus exactor aliqua pignora portari faciat, vel permittat in  
Palarium Potestatis, nisi tantum ad pedem scalarum causa venden-  
di, dum opus est; pœna decem lib. denar. pro qualibet vice.

*De favore prestando Exactoribus per regimen.*

**P**otestas, & ejus officiales, & familiares, necnon bajuli comu-  
nis teneantur cultoribus, & exactoribus dativarum, & collec-  
tarum, in eorum exactione dare, & efficienter præbere auxilium,  
consilium, & favorem, ita quod viriliter exigantur collectæ salvo  
quod pro aliqua exequitione alicujus dativæ, vel collectæ pecunia-  
riæ portæ aliquæ communis non claudantur, nec clausæ teneantur,  
& claverii portarum non possint, nec debeant hexibere, vel dare  
claves alicui officiali nostri communis, vel exactori, seu cultori oc-  
casione alicujus exequutionis, vel exactiōnis dativæ, vel collectæ;  
contrafaciens claverius pro quolibet, & qualibet dice in C. solid.  
denar. puniatur. Etiam Potestas, vel aliquis officialis nostri co-  
munis non possit nullo modo claverios cogere ad claudendum,  
aut hexibendum dicta occasione vera, vel ficta; pœna Potestatis,  
vel cuiuslibet officialis contrafacentis, & prædicta omnia, & sin-  
gula non observantis L. libr. denar. de suo salario per Camera-  
rium, vel Comune retinendarum, & præceptum interloquitio,  
commissarius, gravamen, pœna, vel mulcta inde per eos indita, im-  
posita, vel ponenda, vel indicenda exequitioni mandari non pos-  
sit, & sit ipso jure nulla, & nullius valoris, efficaciæ, vel mo-  
menti.

*Qualiter imponantur collectæ.*

**P**er Reverendissimum Patrem, & Dominum Legatum Misera-  
tione Divina Episcopum N. nova constitutione salubriter  
provisum est, & præcisæ ad tollendum solitas contentiones, &  
jurgia, ut collectæ ceteraque pecuniarum solutiones, & contri-  
butiones occurrentes, & opportune in Comunitatibus, & Terris  
Provinciæ Marchiæ, & aliarum Ecclesiæ Provinciarum, &  
deinceps non aliter imponantur fiant, & exigantur, quam per  
fructus hominum obvenientibus undecumque ex rebus eorum sub-

certis pœnis arduis in ipsa constitutione contentis. Nos vero volentes, nec valentes dictæ constitutionis fieri transgressores, sed potius ipsius æquissimam dispositionem, & formam amplecti, & jūgiter observare, præsentri lege sancimus, ut de cœtero nostrorum communis, & hominum solutiones, impositions, & exactiones daturarum, sive collectarum, tam pro taxis, & aliis subsidiis Cam. Rom. Ecclesiæ, quam pro aliis quibuslibet nostro communis occurribus fiant, & expediantur, non aliter juxta formam prædictam, quam inviolabiliter observari mandamus. Si quando autem licite, & impune per devocationem, vel rerogationem dictæ constitutionis, vel per auctoritatem, & licentiam Dominorum Pastorum, vel Rectorum præfatæ Ecclesiæ nobis, vel nostro communis, sive concilio ejus competenter, vel adesset facultas, sive Potestas aliter, vel per alium modum in prædictis, vel aliquo prædictorum providendi, ordinandi, vel deliberandi, ex nunc prout ex tunc terminando declaramus, ut non aliter, quam infrascriptis modis agatur, vel fiat, aut per gradus consuetos, vel alias æquius, & rectius, ordinandos, aut in dimidia parte per libram, & solidum, & in alia dimidia per sumum, sive sumantem. Quorum modorum dicto casu uterque consistat in providentia, & delibera ratione concilii generalis nostri communis. Hoc tamen in obsequiis, & factionibus mere personalibus, cujusmodi sunt custodiæ, fortifications, atque concimina nostræ Terræ, & ejus districtus, & similia, vel in his, quæ consueverunt fieri, & explicari per sumantes, sive focularia cujusmodi sunt generales exercitus nobis incumbentes, & officialium salario, necnon expensæ, quæ fierent in hædificando, vel reparando hædificia communis, & similia: de quorum omnium similitudine stetut semper declarationi nostrorum officialium pro tempore existentium una cum concilio cernitæ honorum hominum fiendæ, & celebrandæ secundum formam ordinamenti positi supra sub capitulo de celebratione conciliorum; quæ locum non habent videlicet superius constituta, sed potius in eis proxime exceptuatis observentur proxime in hac exceptuatione disposita, & sancta, videlicet ut per capita, vel sumantes, expediantur secundum naturam, & qualitatem negotii personarum. Modi autem, & cautelæ tenendi, seu tenendæ in prædictis, & quolibet prædictorum exequendis, ne fraudes, vel usurpationes aliquæ committantur in præjudicium communis, vel spe-

cialium personarum semper consistant in providentia, & delibera ratione concilii generalis, vel cernitæ supradictæ ad opinionem, & voluntatem Confalonierii, & Priorum populi, & ordinationes, que inde, cautelis tantum, & modis per aliquod dictorum conciliorum factæ fuerint, vel provisæ, valeant, firmæ sint, & observentur quasi forma præsentis Statuti, & ordinamenti cum omnibus pœnis, & cohartationibus addicendis. Interdicimus insuper, & pœnitus prohibemus, ne quis officialium, consiliariorum, & arrengatorum nostri communis in aliquo concilio proponere, colloqui, consulere, arrengare, scribere, reformare, vel deliberare præsumat, vel pos sit contra, vel præter censuras, aut fornas præsentis ordinamenti super traditas in contribuendo, solvendo, vel substinendo aliqua onera per comune, seu in comuni à personis specialibus, aut ex rebus mere, vel miste explicanda, vel exhibenda aliter plus, vel minus, vel per alium modum quam dictum est, pœna, & banno C. floren. auri de facto, & summatim in comune solvenda. Et nihilominus quicquid fecus, & ultra, vel aliter actum, dictum, factum, & attentatum fuerit ipso jure, & facto sit nullum irritum, & nullius efficacij præter pœnam prædictam solvendam, & hoc ordinamentum totum per omnia sit præcium, truncum, & immutabile fructuum nomine, & effectum contineri declaramus, & comprehendendi firmamus omnem utilitatem, & proventum, quæ, vel qui percepta, seu perceptus fuerit per quacumque personam ex quacumque re propria, vel conducta, seu etiam aliena in totum, vel in partem, naturaliter, vel industrialiter, mistim, vel separativim in Terra Montis Sancti, vel ejus territorio, sive districtu.

*De electione Rationatorum, & eorum officio, & salario.*

**R**ationatores communis elegantur per Confalonierum, & Priors populi, qui Rationatores debent esse quatuor videlicet unus per quarterum in concilio generali, & per ipsum concilium statim post electionem approbandi, quorum officium duret singulis vicibus per tres menses, & pro successivis mensibus semper similiter elegantur, & approbantur, dum tamen eodem modo ad ipsum officium, nemo amplius, quam semel, esse, vel eligi possit, qui ve-

ro secus eligerit , vel acceptaverit in libr. x. denar. vice qualibet puniatur , & nihilominus quicquid secus actum fuerit , vel inde sequutum ipso jure , & facto non valeat . Electi autem Rationatores secundum formam praesentis ordinamenti statim praestitis corporalibus juramentis , ut decet , & maxime de non faciendo , nec consentiendo in dicto officio quicquid in fraudem , vel damnum communis , aut specialium personarum , sed potius de bene , & legaliter eorum officium exercendo secundum formam Statutorum , & ordinamentorum praestitis quod pro quolibet ipsorum idoneis fidejussoribus possint , & debeant omnes , & singulos tam Massarios , & Cultores cum Notario Massariorum in libris , quam Depositarios , Ambasciatores , & alios administratores pecuniarum , & rerum communis , cum opportunitate scripturis , libris , & personis diligenter rationare , providere , & calculare pro comuni in domo officii Prioratus , vel in Palatio communis , & absolvire , vel condemnare una cum Confalonegio , & Prioribus , tam comune , quam praedictas personas hinc , & inde ad invicem , prout teneri , & deberi facta ratione prospexerint expedire , veruntamen pro condemnatione , seu absolutione sufficiat scriptura per manum Cancellarii , vel ejus Locumtenentis registrata in aliquo libro , sive registro communis de voluntate , praesentia , & mandato ipsorum Confalonierii , & Priorum , vel majoris partis eorum , & pars , quae per praedictam scripturam condemnata fuerit alteri parte aliquod restituendum , dandum , vel faciendum , teneatur , & debeat infra octo dies restituere , dare , vel facere cum effectu , veritate calculi semper salva , & similiter pars per dictam scripturam reperta nihil debere ipso jure , & facto pro absoluto reputetur . Quo termino elapso ad praedictani per officiales modis omnibus compellatur , & compelli possit omni jure , & indicii solemnitate omissa salva similiter calculi veritate . Salva aliquorum Rationatorum fraudolentorum diffugio communis dilationem noxiā capiant praecedimus , qui Rationatores teneantur quoslibet exactores , vel cultores dativarum , sive collectarum rationare infra unum saltim mensē ab initio exactionis , & singulos Massarios infra octo dies post finitum officium Massariati . Ambasciatores infra duos dies post redditum alios vero similes pecuniarum , & rerum communis administratores exceptis officialium Seindicatibus infra unum mensē à die incepē administrationis , & nihilominus quandocumque pro comuni expeditit præter eos , qui jam absoluti fuerint per Scindicum legitimū

comu-

comunis , vel per supradictam scripturam , sive calculi errore , quos ulterius rationare non debeant contrafacentes Rationatores in non observando praedicta , & quodlibet praedictorum , in xxv. libr. denar. pro quolibet ipsorum , & qualibet vice puniatur , & declaratio , conscripta manu Cancellarii in libro Rationatorum communis habeat vim summæ diffinitivæ , & exequutioni mandetur , exceptionibus omnibus prætermis quando dicta conscriptio facta fuerit præsente parte , & de dicta præsentia facta mentio manu Cancellarii . Præterea eaveant , qui Rationatores , ne aliquid derationare , vel declarare prætermittant in damnum communis alioquin ipsi de ipsorum proprio semper comuni reficere teneantur . Item omnes , & singuli praedicti administratores , seu exactores pecuniarum , vel rerum communis requisiti quorum ipsis Rationatoribus , vel pro parte ipsorum super spectantibus ad dictum rationandi officium , necnon scriptores , & Notarii , & similes cogantur parere . & obbedire per poenas , & pignora , & alia remedia arbitrio , & voluntate Confalonierii , & Priorum . Officiales præstare teneantur eisdem auxilia , consilia , & favores , quoties fuerint requisiti sub poena xxv. denar . Salaria dictorum Rationatorum sint pro quolibet ipsorum , & pro quolibet quarterio collectarum cuiuslibet quarterii tantum de quatuor sol. den. parvorum . Item de quolibet libro , sive quarterio cuiuslibet Massariorum pro quilibet ipsorum v. sol. den. de aliis autem rationibus remaneant salaria in providentia , & declaratione Confalonierii , & Priorum populi . Ultimo declaramus , ne per hoc ordinamentum , vel per aliud positum supra sub capitulo de exactoribus dativarum non intendimus aliqualiter derogare officio Protestatoris nostri communis , sed ipsum volumus per omnia perdurare .

*De Ambasciatoribus , & eorum salario.*

### C A P . XLVIII.

**A**mbasciatores cautum est eligi per Confalonierum , & Piores ubi aliqui non fuerint imbusculati per concilium generale , vel reformatores ipsius , quo casu extrahantur more solito aliorum officialium nostri communis , & compellantur extracti , ut infra dicitur , salvis legitimis excusationibus accedere quo opus erit , dum tandem nullus possit eligi , vel electus accedere pro Ambasciatore qui-

cum-

cumque alia vice iverit , vel Ambasciator fuerit quandocumque infra tres menses durante ex die , quo priva vice accesserit , usque quo de nova missione , & accessione tractaretur ita quod semper Ambasciator fuerit inde ad tres menses , iterum esse non possit , nec etiam ultra dictum tempus successive , qui sine intermediatione alterius Ambasciatoris pro parte communis primitus iverit ita quod plures , & diversæ ambasciatæ diversis temporibus successive eidem Ambasciatori comitti non possint . Item nec ullus , qui in loco ambasciatæ fiendæ causam , vel questionem aliquam ejus propriam , vel sui Coniuncti infra tertium gradum inclusive haberet , nec aliquis quem constaret ibidem attendere ad procuracyem alicujus officii . Item nec aliquis , qui non esset oriundus de Monte Sancto , vel non habitaverit ibi saltim per triginta annos continuos , & bona ibi non possideat apretaria in catastro communis à C. libr. supra . Contra faciens in secus eligendo , vel mittendo , & eundo , vel acceptando vice qualibet puniatur pro quolibet ipsorum in x. libr. denar. & nihilominus quod aliter actum , vel actum extiterit non valeat . Puncta per eos non aliter mittantur , vel ferantur quam infrascripta , & maxime prohibemus ne aliquis Ambasciator nostri communis existens extra nostram Terram in loco ambasciatæ , vel alibi ante relationem ambasciatæ aliquam supplicationem , vel comparitionem , aut actum pro se , vel alio , aut aliis coram Domino Pastore , Rectorum , vel Officiali agat , faciat , dicat , porrigat , vel exponat extra puncta pro commune sibi , seu pro comune commissa pœna contrafacienti pro quolibet , & vice qualibet in quolibet casuum prædictorum x. lib. den. de quibus , & super quibus quilibet admittatur ad accusandum , & ejus nomen teneatur secretum , & habeat partem dictæ pœnæ . Relatio fiat per Ambasciatorem , nec alibi , nec alteri quam Mittenti , seu Mittentibus , & in domo officii Prioratus , vel Palatio communis , ita quod nemo antequam nostrum commune , vel ejus officiales præsentiat sub pœna prædicta modo simili persolvenda . Ante omnia tamen quilibet Ambasciator debeat jurare ambasciatam sibi commissam per omnia quamcuius , & melius pro comune potuerit expedire , & ipsa expedita reverti sine mora , & reddere de ipsa fideliter rationem . Salarium cuiuslibet Ambasciatoris euntis infra Provinciam Marchiæ , & pernoctantis pro ambasciatara extra Terram esse volumus de sex Anconitanis tantum pro quolibet die ubi autem non pernoctaverit hospitandum secundum eodem die reversus fuerit Ambasciator

habeat

habeat pro quolibet die salarium de quatuor Anconitanis grossis tantum , & non ultra . Ne autem ex causa æquitationis aliqua ambasciata retardaretur , vel gravior fiat in expensa , ordinamus quod quilibet habens aliquem ronzonum , seu equum aptum , vel consuetum dare ad vectoram , de qua attitudine , & consuetudine stetur arbitrio nostri regiminis possit , & debeat omnimode compelli ad dandum ipsi ronzonum , & equum ad servitium ambasciatæ communis cum vectura , & soldo sex solid. denar. parvorum , & non ultra . Et si talis ronzonus , vel equus in tali ambasciata , ( quod absit ) periret per defectum Ambasciatoris , tunc ipse Ambasciator teneatur ad emptionem , si vero ex alio defectu , & casu non naturali , tunc comune ad emptione teneatur . Si vero ex naturali morte equus petierit , tunc ut juris est damnum patiatur ipsius ronzoni , vel equi locator , vel dominus , & contra hoc nulla pactio , vel promissio fieri possit , & si fieret non valeat ullo modo .

*De Armario Comunis.*

**I**n armario Comunis consueto omnia , & singula acta in filza quaterni , & libri communis diligentissime recondantur per Confalonierum , & aliquem ex Prioribus una cum Cancellario , & Commisario communis , & de ipsis omnibus libris , & in filzis fiat unum inventarium infra mensem à die confirmationis præsentis ordinamenti , in quo inventario semper singula reponendo addantur , cujus inventarii liber in pecudina carta sit pœnes officium Confalonierii , & Priorum , & similiter fiat de cartis , & scripturis existentibus in cionario communis apud Sacristam Santi Stephani videlicet ut in dicto armario caute recondantur , & in dicto inventario conscribanrur . Item cœtera nostri communis privilegia , & instrumenta ubicumque existentia in dicto inventario per ordinem , & singulariter registrentur cum commemoratione hominis , & loci pœnes quem sunt , atque qualitates ipsorum privilegiorum , & instrumentorum , quod quidem inventarium totum manu duorum legalium Notariorum de Monte Sancto videlicet unius scribentis , & alterius subscriptoris cum signo , testibus loco , tempore , & aliis solemnitatibus requisitis ad fidem , & substantiam scripturarum ita quod eorum semper conservetur memoria . Nemo autem

autem aliquam scripturam, vel rem de prædictis audeat amovere, copiare, vel respicere sine licentia, & præsentia prædictorum officialium, nec trahere, vel asportare ad aliquem locum, nisi ad nostrum bancum juris, dum opus esset, vel ad domum officii Priorum sine expressa licentia, & deliberatione alicujus concilii nostri communis, pœna contrafacientis, vel secus permittentis pro quolibet, & qualibet vice in quolibet casuum prædictorum x. libr. denar.

*De Artificibus.*

## C A P. LI.

**A**rtifices eorum artem legaliter, sollicite faciant, & condecens tem modum in eorum mercedibus non excedant, de quibus si aliquis contentus non esset circa plus, vel minus solvendum semper decidatur summarie cum quantitate declaranda per tres ex quatuor bonis hominibus moderatoribus ad hoc electis, vel eligendis à concilio generali uno videlicet per quarterium, quorum quidem sit oriundus de Monte Sancto, & etatis ad minus xxxv. annorum, & sit in catastro nostri communis apretiatus non minus C. libr., qui mox quam juraverint legaliter, & bona fide gerere in prædictis statim habent arbitrium prædicta faciendi, & declarandi, & quicquid declaraverint mandato Judicis, & Potestatis in prædictis valeat, & precise servetur, conditione aliqua non obstante, dum tamen semper in audience communis, præsentibus, vel citatis partibus moderando de clarent, quam declarationem partes semper sequi, & observare teneantur, & idem eodem modo, & jure observetur, & fiat insuper, & de contentionibus, quæ occurrent inter aliquos occasione alicujus interesse, vel damnum propter malam operatam artem, vel propter incompetens artis laborerium videlicet ut per eosdem moderatores declaratio fiat boni, vel mali laborerii, & quantitatis damni, vel interesse; in quibus simili arbitrio potiantur, & quod declaraverint similiter valeat, & observetur.

D*e**De Electoribus, & electionibus.*

## C A P. LII.

**E**lectores deputati ad aliquos officiales, vel aliquam personam, seu personas eligendum, vel nominandum aliquod officium, vel negocium nostri communis nulli esse, vel deputari possint, qui non sint oriundi de Monte Sancto, & etatis pro quolibet ipsorum ad minus xxxv. annorum, & qui non habeant bona apretiata in catastro communis pro quolibet ipsorum à C. lib. supra: & qui singuli non sint de jurisdictione, & foro Potestatis Montis Sancti. In electionibus autem faciendis observentur formæ specialium, vel generalium Statutorum, & ordinamentorum nostri communis, & maxime observetur, ne aliquis eligatur, qui non sit de dictis jurisdictione, & foro. Item quando quatuor, vel pauciores homines sint elegendi non eligantur de uno, & de eodem quarterio plures uno. Item ut nullus elector eligat, deputet, & nominet aliquem sibi attinentem in quarto gradu consanguinitatis, vel affinitatis ut infra. Item nullus ad plura officia, & negotia communis simul, vel immediate successive gerenda, vel explicanda, nisi competenter, & convenienter simul dicta officia ex unius, & primi officii ejusdem personæ plura exercitia, & actus varios exigentis eligatur, vel deputetur. Quisquis autem contra prædictas formas, vel aliquam ipsorum elegerit, nominaverit, vel deputaverit, vel præter eas elegi, vel deputari consenserit, puniatur qualibet vice in x. libr. denar. & nihilominus electio, atque deputatio, & nominatio sit invalida, & inanis, & vacua ipso jure.

*Qua pœna plectendi sunt aliquod facere debentes  
secundum formam Statuti.*

## C A P. LIII.

**P**ro diligentiori observantia suprascriptorum, & infrascriptorum ordinamentorum statuimus, & ordinamus quod ubicumque, & omni cum quo caveretur aliquid fieri debere, & non sit pœna inserta, teneatur Potestas nostræ Terræ, vel ejus Vicarius facere fieri

ri sub poena xxv. flor. auri eandem poenam imponendo singulis facere debentibus si non fecerint, & maxime si fuerint negligentes in faciendo fieri sub poena ipsi Potestati, vel Vicario negligentis x. lib. denariorum.

FINIS.



Ac aditali lege decernimus quod Potestas nostri communis, & ejus Vicarius, qui sunt, & qui erunt in possessione officii nostri communis, & quilibet ipsorum eo ipso quod quasi possessione, & nomine dum officii potiuntur, & hujusmodi officia gerere reputantur habeat, & habere intelligatur plenam, & efficacem jurisdictionem, quam habet, & habere consuevit nostrum comune in omnibus, & singulis causis, & casibus civilibus, criminalibus, & mistis, vertentibus, & occurrentibus coram eis, vel altero ipsorum, & eorum curia in Terra Montis Sancti, & ejus districtu pro toto tempore singulorum sex mensium, pro quibus electi, vocati, & deputati, vel constituti fuerint; & potestatem habeant conveniendi, cogendi, multandi, puniendi, pronunciandi, absolvendi, condemnandi, & decidendi, & omnia alia, & singula faciendi secundum formam Statutorum, & ordinamentorum nostri communis Montis Sancti, prout & tanquam veri, & ordinarii Judices, & Rectores dicti communis, & hominum Montis Sancti, & prout alii nostri Potestates, & Judices, & quilibet ipsorum facere consueverint, & potuerunt, & expedita gesta, & acta per eos, vel alterum ipsorum, vel coram eis secundum formam nostrorum Statutorum, & juris, valeant, teneant, obseruentur, & exequutioni mandentur per omnia. Qui Potestas, vel Judex ex debito eorum officii vinculo juramenti, & poena C. solid. denar. pro quolibet ipsorum de eorum salariis qualibet die juridica, & non feriata per formam alicujus nostri ordinamenti sedere ad bancum juris consuetum dicti communis logie, vel palatii bis in die, videlicet si opus, vel consuetudo fuerit de mane tempestive, usque post tertias, & de sero post nonam usque post vesperas ad jus reddendum civilibus, & criminalibus causis, & aliis in eorum curia vertentibus ad petitionem omnium, & singulorum coram eis, vel eorum curia, & foro nostri communis causare volentium, & debentium, & nihilominus aliis horis comparentes exaudient, & benigne tractent, ut juris, & moris, est non offendendo alias personas justitia, nec comune in juribus suis, de qua sessione ad bancum in speciali quarto per manus alicujus Notarii bancho facient fieri singulis diebus specialem scripturam continentem diem, & horam sessionis idest si de mane, vel de sero, vel etiam si non sederint faciat per similem